BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 A
11 h

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

post 27. f

15.L.31.

15 12
G C
30 10

FLOSCVLI
SANCTORVM
PATRVM,
IN
AREOLAS SVAS
DISTRIBVTI.

Labore & ſtudio IOANNIS DE LA RVSSALIERE, *Sacerdotis Pictavienſis.*

TOMVS IV.

BIBL·SEC·COLL·ROM·SOC·IESV·

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,

Apud MICHAELEM LE PETIT, & STEPHANVM MICHALLET, ad inſigne Velleris aurei, & S. Pauli. viâ Iacobæâ

M. DC. LXX.

Cum Approbatione & Privilegio.

INDEX RERVM.

Numerus paginam indicat.

A

ABnegatio. 406. 408. 436. 507. 508. 525
Abſolutio. 55. 493. 523
Abſtinentia. 239. 240. 477. 508
Adverſitas. 144. 191. 266. 295. 296. 327. 340. 360. 462. 569. 593
Adulatio. 60. 168. 431. 432
Æternitas. 193. 210. 225. 284. 295. 341. 401. 424. 442. 459. 498
Amor. 35. 37. 39. 43. 56. 91. 158. 169. 176. 253. 338. 403. 411. 457
Angelus. 187
Anima. 26. 98. 112. 123. 143. 153. 212. 221. 276. 298. 313. 370. 380. 410. 527. 549
Apoſtaſia. 424
Aſcenſio Chriſti. 34. 502
Avaritia. 32. 33. 141. 193

B

Baptiſmus. 152

Beatitudo. 346
Bonum. 318. 357. 424. 425. 463. 566
Bonum temporale. 2.31.35. 131.242. 327. 466. 479. 565. 572
Bonus. 432

C

Caro. 129.130.132. 169. 179. 206. 217. 226. 241. 331. 381. 418. 462.548
Caſtitas. 345
Charitas. 22.30.31. 36. 55. 64. 172. 184. 322. 382. 393. 395. 399. 411. 457. 459. 464.472. 496. 497. 503. 506. 513.526. 562
Chriſtus. 10.13.18. 27. 28. 40. 43. 79.80. 141. 153. 223.313.322.332. 386. 389. 395. 399. 400. 403. 409. 477. 490. 493. 543
Chriſtianus. 21.26. 42. 47. 50. 54. 58.113.383.490. 510.544
Cœlum. 158. 206. 341. 369. 395. 407. 465. 472. 489. 522
Compaſſio. 237.509
Compunctio. 266. 565
Concionator. 1.60. 117.123.125 127. 169.181.217.233. 257.259.334.338. 340. 416. 436. 444. 445. 460. 466. 468. 479. 480. 536. 553. 564
Concupiſcentia. 133

194. 256. 462
Confeſſio. 55. 134. 136. 137. 138. 178. 179. 186. 256. 309. 374. 388. 402
Conjugium. 67. 578
Conjux. 539
Conſcientia. 16. 99. 290. 408. 428. 565
Conſolatio. 144. 148. 237
Conſtantia. 201
Contemplatio. 115. 116. 164. 169. 266. 328. 452. 453. 459
Continentia. 331
Converſatio. 541
Converſio. 18. 52. 58. 78. 118. 120. 121. 122. 125. 137. 187. 269. 270. 271. 273. 372. 513. 558. 571
Conuiuiũ. 141. 144
Correctio. 52. 130. 205. 254. 255 262. 310 311. 343 444 445. 461. 537. 558. 566. 580
Creatio. 495
Creatura. 292. 471. 559
Crux. 16. 33. 508 509
Culpa. 213. 214 292. 351. 414. 418. 554. 577

D

Delectatio. 221. 521
Deliciæ. 520
Derelictio Dei. 123. 213
Detractio. 48 428. 429
Deus. 3. 27. 38. 119. 154. 204. 211. 216. 224. 225. 229. 236. 248. 289. 315. 319. 348. 388. 400. 409. 440.

458.503 579
Diabolus. 27.35 39. 71. 74. 92. 103. 143. 145. 146. 147. 150. 179. 183 207. 215. 219. 267. 270. 3̇3. 344. 345. 350.523. 548.568
Diſcretio. 189
Divitiæ. 63.71.195. 209. 460. 475
Doctor. 448.504
Doctus. 566
Dolor. 3

E

Ebrietas. 172.435
Eccleſia. 72.202. 219. 227. 230. 320. 336. 339. 362. 396. 400. 404. 464. 473. 523
Eleemoſyna. 8.21. 22. 24. 25. 34. 35. 38. 39. 40. 41. 42. 54. 61. 62. 63. 84. 87. 88. 96. 97 100. 101. 102. 110. 200. 221. 229. 245. 246. 247. 255. 438. 466. 530. 569
Epiphania Chriſti. 12
Epiſcopatus. 533
Error. 352
Euangelium. 506
Euchariſtia. 92. 93. 94. 95. 111. 117. 202
Exemplum. 64. 103. 267. 414. 532. 555. 561

F

Feſtum. 494
Fides. 9. 10. 69 112. 145. 352. 363. 399. 400. 406. 424. 461. 493. 501. 548
Flagellum. 146. 203.

205. 221. 265. 268. 302. 347. 370. 383. 456. 559. 569. 570. 571
Fornicatio. 134
Fortitudo. 171
Furtum. 80

G

Gaudium interius. 193
Gemitus.
Gloria. 378. 564. 573
Gratia. 23. 24. 72. 77. 122. 138. 167. 213. 259. 315. 389. 409. 424. 563. 566
Gula. 37. 173. 328. 329

H

Hæreticus. 161. 163. 176. 180. 194. 199. 211. 216. 221. 222. 227. 401. 561
Holocauſtum. 451. 463
Homo. 43. 157. 244. 312. 333. 408
Honor. 350
Humilitas. 28. 77. 126. 129. 212. 229. 251. 255. 290. 291. 294. 297. 306. 319. 325. 346. 349. 441. 500. 501. 532 534. 542. 555. 564
Hypocriſis. 38. 173. 180. 220. 336

I

Jejunium. 4. 12. 13. 14. 15. 23. 24. 29. 34. 38. 39. 41. 70. 73. 87. 89. 96. 97. 109. 478
Imitatio Dei. 30
Infernus. 57. 207.

529.530.550.551
Ingratitudo. 21
Inimicus. 184. 252. 253. 372
Injuria. 387
Injuſtitia. 574
Intentio. 419.544
Invidia. 4.37.165
Ira. 48. 165. 322. 371.543.578
Judicium. 178 186. 198. 206. 232. 243. 283. 503. 527. 529. 539. 556. 572
Juramentum. 134
Juſtitia. 513
Juſtus. 197. 204. 214. 226. 267. 312.318.377 378. 384.385

L

Lachrymæ. 17.77. 113.189.196.315. 507.511.521
Laus. 133.142.183. 220. 309
Libertas. 406
Lingua. 228. 537. 547
Luxuria. 135.298
Luxus. 468.529

M

Maledictum. 152
Malum. 147.215
Malus. 195.201.211. 215
Maria virgo. 80
Maria Magdalena. 510
Martyr. 518
Martyrium.518.548
Mendacium. 219
Miraculum. 315. 415. 496. 501. 545.575
Miſericordiæ opera. 57
Miſericordia Dei. 5. 31. 33. 37.218. 350. 386. 394. 447.498. 514

Miſſa. 91. 552
Mors. 120. 154. 197. 199. 202. 282. 372. 403. 452. 457. 474. 515. 528. 567
Mortificatio. 4. 31. 83. 195. 373. 466. 500. 567. 573
Mundus. 17. 26. 64. 194. 377. 522

N

Natiuitas Chriſti. 8. 9. 10. 11. 32
Neceſſitas. 330

O

Obedientia. 35. 48. 121. 124. 128. 137. 186. 364. 365
Obduratio. 196. 308. 457
Opus bonum. 420. 474. 542. 555
Oratio. 5. 32. 42. 46. 70. 78. 106. 117. 120. 124. 146. 151. 192. 196. 209. 219. 258. 300. 301. 358. 363. 387. 397. 401. 404. 465. 499. 543. 545. 555. 561. 565. 574. 576
Oratio pro defunctis. 551
Ordo. 159. 557

P

Palma. 231
Panis acceptio varia. 264
Paſſio Chriſti. 552
Paſtor. 127. 233. 234. 259. 306. 343. 443. 444. 475. 482. 494. 532. 535. 553. 562
Patientia. 23. 53. 164. 238. 244. 254. 422. 458. 515. 516. 518. 573

Parentes. 68
Pauper. 531
Paupertas. 30. 84. 103.211.507
Pax. 98.168
Peccatum. 4.65.91. 104. 105. 119. 127.132.137.154. 157.230 241 243 284. 285. 286. 310. 373. 406. 415. 446. 461. 579
Peccatum veniale. 510. 541
Perfectio. 29. 31. 76.77.155.162. 183. 238. 249. 531. 545
Periculum. 104
Perſeuerantia. 139. 143.372
Pœnitentia. 43.78. 83. 92. 97. 112. 118.122 136.137. 154. 186. 283. 285 384. 387. 389. 394. 423. 465. 471. 489. 510. 514.574
Pigritia. 568
Potentia. 304.569
Præcepta Dei. 40. 55. 56.130. 438. 488
Prælatus. 119. 126. 128. 129. 279. 280.281.289.533. 534. 536. 561. 563. 564. 580
Propheta. 122.413. 442
Prophetia. 403.412
Proſperitas. 172. 326. 397. 557
Prouidentia. 167. 196. 210
Proximus. 417
Pudor. 437. 540
Purgatorium. 95. 379

Q

Quadrageſima. 86

R

Relapſus. 43. 192. 447. 448.
Religio. 557.
Religioſus. 54. 59. 139. 576.
Reprobus. 171. 202. 300. 441.
Reſpectus humanus. 427.

S

Sacerdos. 1. 119. 188. 197. 479. 483. 484. 486. 487. 556. 558. 575.
Sacramentum. 491.
Sacrificium. 515.
Salus. 128.
Sanctus. 226. 235. 238. 258. 307. 376. 389. 421. 438. 439.
Scandalum. 420.
Scriptura ſacra. 139. 143. 153. 232. 352. 419. 421. 434. 435. 436. 438. 451. 457. 492. 528.
Senſus. 381.
Silentium. 443.
Simplicitas. 194. 199.
Sobrietas. 58.
Solitudo. 327.
Somnium. 179.
Spes. 178. 544.
Spes in Deum. 10. 54. 193. 201. 297. 323. 353. 407. 459. 490.
Spiritus. 548.
Spiritus ſanctus. 392. 393. 395. 396. 409. 416. 418. 441. 492. 504. 505. 541. 542.
Superbia. 30. 64. 244. 250. 251. 256. 260. 263. 278. 279. 290. 292. 297. 349. 354. 386. 395. 501.

T

Talentum. 469.
Téplū. 49. 122. 528.
Tentatio. 28. 31. 132.

143. 145. 146.
150. 168. 176.
183. 188. 198.
202. 204. 214.
226. 241. 242.
264. 265. 270.
273. 274. 275.
323. 328. 342.
344. 351. 356.
376. 385. 477.
558. 568. 571.
Timor. 130. 134.
141. 156. 174.
186. 227. 419.
Tribulatio. 79.
124. 140. 159.
165. 235. 239.
296. 350. 376.
565. 569. 573.
Triſtitia. 68.
V
Vanitas. 12. 261.
Verbum Dei. 47.
55. 80. 98. 126.
340. 398. 435.
442. 476. 487.
488. 535.
Verbũ otioſũ. 175
Veritas. 221.
Vidua. 69.
Vigilia. 40.
Virgo. 72. 73. 74.
Virtus. 58. 64. 117
142. 155. 194.
198. 241. 247.
248. 254. 319.
321. 379. 515.
Vita. 68. 174. 176.
177. 178. 200.
203. 263. 307.
376. 406. 452.
522. 544. 575.
Vitium. 3. 43. 90.
103. 156. 173.
195. 260. 449.
450. 536.
Voluntas. 29. 45.
64. 406. 457.
467. 509.
Voluptas. 37. 325.
330.
Z.
Zelus. 393. 451.
558.

FINIS.

S. PROSPERI FLOSCVLI.

AREOLA VIII.

AD hoc ſanctè vivendum eſt Sacerdoti, ne dicta ſua repugnantibus factis evacuet, ſi quod prædicat fieri debere, non faciat, aut ſi quod non facit, prædicare præſumpſerit. *De vita Contē-plativa lib. 1. cap. 20.*

Ille cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiam ſi ſanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubeſcat aut metuat, cum omnibus qui eo tacente perierunt, perit.

Officij noſtri vitamus laborem, appetimus dignitatem. *cap. 21.*

Tamdiu quis peccata ſua quæ *l. 2. c. 6.*

noſſe ac deflere debet, ignorat, quamdiu curioſè aliena conſiderat.

Fratrum noſtrorum vitia non facilè debemus accuſare, ſed gemere.

Illæ nobis ſunt ambiendæ divi-
cap. 13. tiæ, quæ nos ornare poſſunt pariter & munire: quas nec acquirere poſſumus inviti nec perdere: quæ nos contra hoſtiles impetus armant, à mundo diſterminant, Deo commendant, ditant animas noſtras atque nobilitant, nobiſcum ſunt, intra nos ſunt.

Corporale bonum, quando habent iniqui, ipſorum eſt præmium: quando habent juſti, non eſt eorum præmium, ſed temporale ſolatium.

Boni temporalis amiſſio fit exercitium juſti, & injuſti ſupplicium; quia & juſtus deſiderio cæleſtium captus omnia temporalia, ſive habeat, ſive amittat, omnino non ſentit; & iniquus quod cum delectatione habet, ſine dolore non perdit.

Quem poſſidendi delectat ambitio, Deum qui poſſidet omnia quæ creavit, expedita mente poſſideat, & in eo habebit quæcunque habere ſanctè deſiderat.

Nemo poſſidet Deum, niſi qui poſſidetur à Deo.

Si Dei ſunt ea, quæ conferuntur Eccleſiæ, Dei opus agit, qui res Deo conſecratas non alicujus cupiditatis, ſed fideliſſimæ diſpenſationis intentione non deſerit.

Quicquid, ſine quo poteſt viui, percipitur, non ſuſtentandæ vitæ, ſed fovendæ luxuriæ carnis impenditur. *Cap. 17.*

Non res ea nos Deo commendat, quam & inimici Dei faciunt; ſed illud quod non niſi verè chriſtiani, & per hoc amatores Dei, perficiunt.

Dulcior fit ſalus, cùm dolor excruciat: & ſanitatis amiſſæ dulcedinem languoris amaritudo commendat. *Cap. 19*

Tunc vitia fideliter expulſa diſcedunt, ſi virtutibus cedant. *l. 3. c. 5.*

cap. 5. Tantos invidus habet pœna juſta tortores, quantos invidioſus habuerit laudatores.

cap. 10. Vera jejunia, abſtinentiæ, vigiliæ, eleemoſynæ, & cætera hujuſmodi augere debent bonum noſtrum, non velare peccatum.

Nulla res ſic ab omni peccato ſervat immunes, ſicut timor ſupplicij, & amor Dei.

cap. 11. Ad pœnam, quæ peccanti debetur, mens antequam peccet, aſpiciat; cruciatus ac dolores, qui ſolent ſequi peccantem, carnalibus incentivis opponat.

cap. 26. Dominetur vitijs ratio, ſubjiciatur corpus animo, animus Deo, & impleta eſt hominis tota perfectio.

In reſponſ. ad capitula Gallorum. Non eſt ſalvatus cruce Chriſti, qui non eſt crucifixus in Chriſto; Non eſt autem crucifixus in Chriſto, qui non eſt membrum corporis Chriſti.

ſuper 14 capit. Gal. Deus pœnas criminum novit ordinare, non crimina.

In Pſal. 100. Bona perſecutio, quæ non hom-

nem, ſed peccatum hominis inſectatur.

Citò obtinentur, quæ bono deſiderio poſtulantur; nec differuntur preces, quæ hoc petunt quod vult ille, qui petitur. *In Pſal. 101.*

Divina bonitas ideo iraſcitur, ne iraſcatur; & miſericorditer adhibet temporalem ſeveritatem, ne æternam referat ultionem. *In Pſal. 102.*

Qui perſonam ſuſcipere dignatus eſt Patris, nihil circa filios non miſericorditer facit.

Timor obedientiam parit.

Bene loqui, & malè vivere, nil aliud eſt quàm ſua ſe voce damnare.

Merito cælum intelliguntur, qui habitantur à Domino. *In Pſal. 112.*

Beati jam dicuntur, qui hoc ſine dubio ſunt futuri. *In Pſal. 118.*

Non ſufficit naturæ, quod ei remanſit, niſi recipiat à reparatore quod perdidit.

Laus Domini nec uberiùs ſignificari, nec pleniùs poteſt, quàm cum dicitur bonus. *In Pſal. 134.*

Tota ſuavitas bonitatis Dei in gratia ipſius demonſtratur.

In Pſal. 138. Perfecta in Dominum dilectio eſt, non amare quod non amat.

In Pſal. 139. Loquacitas imperita mavult docere quàm diſcere.

Non ſanctificatur, niſi qui Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, unitur.

S. MAXIMI FLOSCVLI.

AREOLA IX.

LÆTITIA quanta ſit, quantuſque concurſus, cum Imperatoris mundi iſtius natalis celebrandus eſt. Bene noſtis, quemadmodum duces ejus & principes, omnes etiam militãtes, accurati ſericis veſtibus, accincti operoſis ſagulis, auro fulgente pretioſis, ambiant ſolito nitidius in conſpectu Regis incedere. Credunt enim majus eſſe Imperatoris gaudiũ, ſi viderit majorem ſuæ apparitionis ornatum, tantoque illum lætum futurum, quanto ipſi fuerint in ejus feſtivitate devoti; ut quia Imperator

Homil. in vigiliis Natalis Domini.

tanquam homo corda non conſpicit, affectum eorum circa ſe probet vel habitum contuendo; ita fit ut ſplendidius ſe accuret quiſquis Regem fidelius diligit. Deinde quia in die Natalis ſui ſciunt eum largum futurum ac donaturum plurima vel miniſtris ſuis, vel his qui in domo ejus abjecti putantur & viles, tanta prius theſauros ejus replere divitiarum varietate feſtinant, ut in quantum prærogare voluerit, in tantum prærogatio copioſa non deſit, & ante voluntas donandi deficiat, quàm ſubſtantia largiendi. Hæc autem ideo ſollicitè faciunt, quia majorem ſibi remuneratione̅ pro hac ſollicitudine ſperant futuram.

Rectiùs apud Deum per *Pauperes* agimus cauſam noſtram, ut noſtris eos alamus ſumptibus, qui illi gratias agant.

Quale eſt meritum largientis, ut ſolus quis operetur in domo, & per multos in Eccleſia Dominum deprecetur!

Magnus profectus eſt fidei, cum tantum de Deo ſuo concipit, quantum ſermo non poteſt parturire. *Hom. 1. in Natali Domini.*

Videte quanta ſapientia collocari Chriſtus dicitur in præſepio, qui gemina quadam gratia humani generis & eſca erat futurus, & paſtor. Qui bene in præſepio ponitur, ut ad pabula perennis vitæ ſpiritualium ovium greges cæleſtis balatus invitet. *Hom. 2.*

Idcirco myſtico refertur ſermone non inveniri locum in diverſorio, quia ingreſſus mundum Chriſtus, fidem in qua poſſit requieſcere, non invenit.

Et ſi ſollicitus perſcruteris, præter hunc legitimum humanæ conceptionis uſum, tres valde mirabiles naſcendi ſpecies operatam reperies Trinitatem. Et prima eſt quidem, quod Adam figuratus ex limo eſt: ſecunda, quod mulier formata de maſculo: tertia quæ & cæleſtis eſt, quod Chriſtus proceſſit ex Virgine. *Hom. 3.*

Hom. 4. Si credis vilia, crede mirifica.

Si præſepe in quo infans jacuit, deſpicis, erige pauliſper oculos, & novam in cœlo ſtellam proteſtantem mundo nativitatem Dominicam intuere.

Hom. 5. Vilitas iſta infantis pretioſum Dei eſt Sacramentum: in pannis enim noſtras infirmitates, noſtra ſe indicat ſuſcepiſſe peccata. Quod vero in præſepi, ubi paſtus eſt animalium, ſua collocari membra permittit, in æternam refectionem veſcendum à mortalibus ſuum corpus oſtendit.

Hom. 6. Factus eſt homo, non ut ſibi viveret, qui author eſt vitæ; ſed ut morte ſua vitam redimeret mortuorum.

Hom. de Kalendis Ianuar. Nec debet fidelis anima, quæ Angelorum conſortia concupiſcit, dæmoniorum luſibus delectari.

Qui ſperat in Deum, ac toto corde in ejus gloriam luminum ſuorum defigit aſpectum, ad inſaniſſimas vanitates conſecratos ſemel Deo non debet oculos retorquere.

Non inconvenienter ſecundum ſe nouum appellant annum, quoniam per nefandas furias de honeſtate falſa turpitudo & perverſitas innovatur. Novum vocant annum, quaſi novi aliquid aut cælum tunc oſtendat, aut terra. Novum annum Januarias appellant Kalendas, cum vetuſto ſemper errore & honore ſordeſcant. Auſpicia etiam vaniſſimi colligere ſe dicunt, ac ſtatim vitæ ſuæ inanibus indicijs æſtimantes, per incerta avium ferarumque ſigna, imminentis anni futura rimantur. Cum impietate de domibus ſuis prodeunt, & cum ſacrilegio revertuntur.

Unigenitus altiſſimi ſic humiliter ingreſſus eſt mundum, ut indubitata divinitatis ſuæ deferret indicia. *Hom. 1. in Epiphania Domini.*

In thure & dæmoniorum ſuperſtitio ceſſatura, & futurus veræ Religionis cultus aperitur. *Hom. 3.*

Hæc offerri Chriſto tam ſacrata donaria, non Magorum arbi-

trium, ſed inſpiratio omnipotentis elegit.

Hom. 4. In cunis jacebat, ſed radiabat in Cœlo.

In Bethleem lactabatur à Matre, & in Chaldæa adorabatur à Magis.

Judæus Deum ſuum refugit, Paganus inquirit.

Quod proximus non agnoſcit, alienus intelligit.

Apud Iudæos Propheta loquitur, nec auditur; apud Gentiles, ſtella tacet & ſuadet.

Homil. in die Cinerũ. Nonnullorum eſt conſuetudo, advenientes Quadrageſimæ dies devotiore jejunio prævenire.

Inane eſt & vanum quicquid nullius ponderis aut virtutis firmitate conſiſtit. Inane eſt, quod cum ſæculo prætereunte deficiens ad vitam non tranſit æternam.

Non poſſumus, pro uno eodemque opere & laudem mundi adulantis expetere, & præmium vitæ cæleſtis acquirere.

Hom. 1. Nobis ſalvator eſurit, pro nobis

loquitur. Nos illo vincimus, quia ſumus ei cauſa pugnandi. *de jejunio Quadr.*

Ut homo natus, honoratur ut Deus.

Omnia ut homo patitur, & omnia vincit ut Deus.

Jejunia noſtra religioſis ſanctificemus obſequiis. Quid autem eſt aliud ſanctificare jejunium, niſi jejunij cauſâ ſancta velle, juſta facere, iniqua vitare? Sanctificat ille jejunium, cujus cor adulatio potentum, amicorumque parentumque gratia, clientum etiam parva magnave munuſcula, à recti tramite non avertunt. Sanctificat jejunium ſuum, cujus juſtitia pretio non vileſcit. Sanctificat ille jejunium, qui flammas ſævientis invidiæ, manſuetæ mentis placabilitate reſtinguit. Sanctificat jejunium, qui laſcivientes oculos turpi ab aſpectu habenis caſtitatis avertit. Sanctificat jejunium, qui conviciorum jacula ſcuto patientiæ repercuſſa diſpergit. Sanctificat jejunium, qui litigantium

tumultus pacifici ſanitate ſermonis & linguas prudentionis arte compeſcit. Sanctificat jejunium, qui conſurgentes in ſemetipſo vanarum cogitationum ſpinas, evangelio ſulcante vomere velut quidam pectoris ſui arator excidit. Sanctificat jejunium, qui inopias egenorum pro quantitate ſubſtantiæ ſuæ mſerantis manus humanitate ſolatur. Apprime ſanctificat ille jejnuium, qui per omnia præceptis divinæ legis intentus, diabolica à corde ſuo reſpuit tentamenta.

Hom. 2. Si nolumus à Diabolo ſuperari, inhæreamus ei qui Diabolum triumphavit.

Hom. 3. Jejunet in nobis pernicioſa luxuries, jejunet omnis iniquitas, jejunet odioſa contentio.

Quid prodeſt proprium non edere panem, & victum diripere miſerorum?

Quid prodeſt vobis vacare à convicijs, & diem litibus occupare?

Jejunium chriſtiani, egentis

debet eſſe refectio.

Quale illud eſt, quod non veſceris carnibus, & de ore tuo omni eſca ſordidius egreditur maledictum?

Quale eſt, quod ſanctificatur venter jejunio, & polluitur lingũa mendacijs?

Rectè contundes manibus pectus ſi omnem inde furorem malignæ voluntatis excuſſeris.

Juſtè etiam dabis denarium pauperi, ſi alij illud pauperi non tuliſti.

Hæc eſt religioſa eſuries, ut jejunium noſtrum ſanctificet caſtitas, ornet patientia, benignitas foveat, miſericordia lætificet, commendet humilitas. His Quadrageſimam Chriſti, prout poſſumus virtutibus ſubſequamur, ut gemino quodam corporis animique jejunio, divinæ nos ſemper gratiæ commendemus.

Bene jejunat quicumque eſuriem ſuã refecti pauperis ſatietate ſuſtentat. Bene jejunat qui divini *Hom. 4.*

recordatione jejunij ſemetipſum refrænans ab omni illecebrarum voluptate ſuſpendit. Bene jejunat qui carnem ſuam vitiorum germina pullulantem, ſanctarum meditatione virtutum, & ſobrietatis amore caſtigat. Bene jejunat qui fraternas injurias pacifici pectoris lenitate dimittit.

Gratiſſimum Deo defert jejunium qui mentem ſuam à pravis cogitationibus, oculos à concupiſcentia, linguam manuſque à lite cuſtodit.

Ab eſca quidem vel potu pro viribus temperemus, à vitijs autem totis viribus jejunemus.

Hom. 3. de acuſato Domino. Omnium ſupergreditur ſententias, qui à ſua conſcientia, ſua ſententia condemnatur. Quem enim alter judicat, poteſt ut cumque eſſe excuſabilis: reus autem ſine excuſatione eſt, qui conſcientiæ ſuæ judicio condemnatur.

Hom 2. de Cruce. Grande crucis eſt Sacramentum, Cælum quoque ipſum hujus ſigni figurâ diſpoſitum eſt.

Lacrymæ

Lacrymæ verecundiæ conſu- *De pœ-*
lunt pariter & ſaluti, nec erubeſ- *nit. Pe-*
cunt in petendo, & imperant in ro- *tri Ho-*
gando. Lacrymæ, inquam, tacitæ *mil. 3.*
quodammodo preces ſunt, veniam
non poſtulant & merentur, cauſam
non dicunt, & miſericordiam con-
ſequuntur.

Utiliores lacrymarum preces
ſunt, quàm ſermonum.

Solet citiùs mereri indulgen-
tiam, qui verecundiùs deprecatur.

Fidelior factus eſt, poſtquam *Hom. 4.*
fidem ſe perdidiſſe deflevit; atque
ideo majorem gratiam reperit
quàm amiſit.

Tanquam bonus paſtor tuen-
dum gregem accepit, ut qui ſibi
ante infirmus fuerat, fieret om-
nibus firmamentum.

Multi diabolici fluctus ſunt in
hoc mundo; tentationum multa
naufragia.

Ante futurus homo reſurrexit *In Feſto*
in Chriſto, quàm vitam ſortiretur *Paſchæ*
in ſæculo. *Hom. 5.*

In ſalvatore omnes reſurreximus,

omnes reviximus, omnes ad cæleſtia tranſmigravimus. Eſt enim in illo Chriſti homine vniuſcujuſque carnis & ſanguinis portio. Ubi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo; ubi dominatur ſanguis meus, me ſentio dominari; ubi glorificatur caro mea, me glorioſum eſſe cognoſco.

In Chriſto caro noſtra nos diligit.

Hom. 4. Bonus tranſitus eſt, tranſire de peccatis ad juſtitiam, de vitijs ad virtutes.

Habent & merita ætates ſuas. Habet & chriſtiana ſimplicitas infantiam ſuam.

Melior eſt Chriſti infantia, quàm naturæ. Illa enim peccare neſcit, iſta contemnit. Illa per infirmitatem innoxia eſt, iſta eſt innocens per virtutem. Atque ideo laudi magis aſcribendum eſt, non tam malè facere non poſſe, quàm nolle.

Ætates quædam ſunt meritorum. Nam & ſenectus morum re-

peritur in pueris, & innocentia infantum reperitur in ſenibus.

Innovatio quædam eſt, deſinere quod eras, aſſumere quod ante non fueras. Unde & Neophyti nuncupantur, quod novitate quadam maculas vetuſtatis abjecerint, gratiam ſimplicitatis aſſumpſerint. *Hom. 5.*

Non ſufficiebat ad placandum Deum, peccantium ſatisfactio, niſi ſeniorum quoque peccata infantium innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta ſua juventus ablueret. *Hom. de Iejunijs Ninivitarum.*

Qui vult proximus Deo eſſe, debet imitari hoc eſſe, quod Deus eſt.

S. LEONIS FLOSCVLI.

AREOLA X.

NON verecundæ, ſed ingratæ mentis indicium eſt, beneficia tacere divina. *In anniverſario die Aſſumptionis ejus ad S. Pont. ſerm. 1.*

Et ſi neceſſarium eſt trepidare de merito, religioſum eſt tamen gaudere de dono.

Omnes in Chriſto regeneratos crucis ſignum efficit Reges, ſancti verò Spiritus vnctio conſecrat Sacerdotes. *ſerm. 3.*

Certum eſt unumquemque noſtrum animæ ſuæ benefacere, quoties miſericordia ſua inopiæ ſuccurrit alienæ. *De Collectis. ſerm. 1.*

Theſaurum ſuum condit in

cælo, qui Chriſtum paſcit in paupere.

Miſereantur pauperum, qui ſibi volunt parcere Chriſtum.

ſerm. 4. Non ſit vilis homini homo, nec in quoquam deſpiciatur illa natura, quam rerum conditor ſuam fecit.

Cui laborantium licet negari, quod ſibi Chriſtus profitetur impendi?

Cibus egeni, Regni cæleſtis eſt pretium.

Pondera operum, charitatis lance penſantur.

Cum amatur ab homine quod Deus diligit, meritò in ejus aſcenditur Regnum, in cujus tranſitur affectum.

Sollicita benignitate vigilandum eſt, ut quem modeſtia regit, & verecundia præpedit, invenire poſſimus. Sunt enim qui palam poſcere ea, quibus indigent, erubeſcunt, & malunt miſeria tantæ egeſtatis affligi, quàm publica petitione confundi. Intelligendi er-

go iſti ſunt, & ab occulta neceſſitate ſublevandi; ut hoc ipſo amplius gaudeant, cum & paupertati eorum conſultum fuerit, & pudori.

Magna eſt pietas prodere latebras impiorum, & ipſum in eis, cui ſerviunt, Diabolum debellare.

Muneribus Dei juſtè & ſapienter utendum eſt, ne materia boni operis fiat cauſa peccati.

Nemo de ullis ſibi bonæ vitæ meritis blandiatur, ſi illi defuerint opera charitatis.

Et ſi magnis quis laboribus & multis fatigetur incommodis, bona eſt illi cauſa tolerandi, qui ſe adverſis vel corrigi intelligit, vel probari. *De jejunio decimi menſis. ſerm. 1.*

Quod placet Deo, placeat & omnibus nobis.

Qui bene uſus eſt magnis, utatur bene & modicis.

Semper illi, quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit.

Semper virtuti cibus jejunium fuit. *ſerm. 2.*

De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes.

Impendamus virtuti, quod ſubſtrahimus voluptati.

Fiat refectio pauperis abſtinentia jejunantis.

ſerm. 3. Modicum eſt quod pauperi ſatis eſt. Nec victus illius, nec veſtitus oneroſus eſt. Vile eſt quod eſurit, vile eſt quod ſitit, & nuditas, quæ indiget operiri, non poſcit ornari.

ſerm. 4. Nec facile provenit cuique tam incruenta victoria, ut inter multos hoſtes frequenteſque conflictus, etiam ſi ſit liber à morte, ſit quoque immunis à vulnere.

Jejunium ſine eleemoſyna non tam purgatio animæ, quàm carnis afflictio eſt, magis que ad avaritiam, quàm ad continentiam referendum eſt, quando aliquis ſic à cibo abſtinet, ut etiam à pietate abſtineat.

Sublimitas gratiæ Dei hoc quotidie operatur in cordibus chriſtianis, ut omne deſiderium

noſtrum

noſtrum à terrenis ad cæleſtia tranferantur.

Idem eſt largitor temporalium, qui promiſſor eſt æternorum.

Efficaciſſima pro peccatis deprecatio eſt in eleemoſynis atque jejunijs, & velociter ad divinas conſcendit aures talibus oratio elevata ſuffragijs.

Pars corporalium facultatum, quæ indigentibus miniſtratur, in divitias tranſit æternas: & illæ opes de hac largitate pariuntur, quæ nullo uſu minui, nulla poterunt corruptione violari.

Qui ſuum ab inope non avertit animum, citò ad ſe Domini convertit auditum.

Dimittite & dimittetur vobis: Luc. 6. Qui dhac juſtitia benignius? Quid hac retributione clementius, in qua ſententia judicaturi in poteſtate ponitur judicandi?

Infidelis & iniquus eſt etiam ſibi, qui quod æſtimat diligendum, non vult habere perpetuum.

Carnale eſt, non ſpiritale jeju- *ſerm. 6.*

nium, ubi ſoli corpori non parcitur, & in ijs quæ omnibus delicijs nocentiora ſunt, permanere.

Meritò plerumque patitur *anima* famulam rebellantem, quæ non reddit Domino debitam ſervitutem.

In Nativitate Domini, ſer. 1. Agnoſce, ô Chriſtiane dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento cujus capitis & cujus corporis ſis membrum.

ſerm. 5. Fruſtra appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſimus Chriſti.

ſerm. 6. Generatio Chriſti origo eſt populi chriſtiani, & natalis capitis, natalis eſt corporis.

Quid eſt pacem habere ad Deum, niſi velle quod jubet, ac nolle quod prohibet?

Natalis Domini natalis eſt pacis.

Non habet mundus amicitias veras, & multos facit perverſo amore concordes.

Si deorſum ſunt, quæ amas, ad ima deſcendes: ſi ſurſum ſunt quæ

diligis, ad ſumma pervenies.

Non deſinit Hoſtis antiquus *ſerm. 7.*
transfigurans ſe in Angelum lucis deceptionum laqueos prætendere, & ut quoquo modo fidem credentium corrumpat, inſtare. Novit cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mærore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi quærit cauſas nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſiùs occupari.

Quicquid Deo minus eſt, Deus *ſerm. 8.*
non eſt.

In Chriſto nihil eſt alterius no- *ſerm. 9.*
turæ, quod non ſit utriuſque.

Per ea quæ dedit *Deus*, merea- *In Epiphania.*
mur accipere quod promiſit.

Vitam piorum non ſolum ſibi *ſerm. 2.* *ſerm. 5.*
ſed etiam alijs eſſe utilem decet, ut quod apud eos agi non poteſt verbis, obtineatur exemplis.

Dilatio vindictæ dat locum pœnitentiæ.

ſerm. 6. Cor hominum de operum oſtenditur qualitate, & formas mentium ſpecies detegit actionum.

ſerm. 7. Tota victoria Salvatoris, quæ & Diabolum ſuperavit & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta.

Amat Chriſtus infantiam, quam primùm & animo ſuſcepit & corpore. Amat Chriſtus infantiam humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam.

Inferre ac referre injuriam mundi hujus prudentia eſt.

De Quadrageſima. ſerm. I. Ob hoc Dominus ſe tentari à tentatore permiſit, ut cujus munimur auxilio, eiuſdem erudiremur exemplo.

Vita hæc noſtra in medio inſidiatorum, in medio præliorum eſt. Si volumus ſuperare, pugnandum eſt.

Nulla ſunt ſine tentationum experimentis opera virtutis. Nullum

ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria.

Nemo noſtrum tam perfectus & ſanctus eſt, ut perfectior ſanctiorque eſſe non poſſit. *ſerm. 2.*

Hæc eſt perfectorum vera juſtitia, ut nunquam præſumant ſe eſſe perfectos, ne ab itineris nondum finiti ceſſantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi depoſuerint appetitum.

Nulli parvus eſt cenſus, cui magnus eſt animus: nec de rei familiaris modo menſura miſerationis pendet aut pietatis.

Nunquam merito caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia.

Majora quidem ſunt impendia divitum, & minora mediocrium: ſed non diſcrepat fructus operum, ubi idem eſt affectus operantium.

Non in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma jejunij, aut fructuosè corpori eſca ſubſtrahitur, niſi mens ab iniquitate revocetur & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. *ſerm. 4.*

Sic nobis edendi eſt moderanda libertas, ut etiam aliæ cupiditates eadem lege frænentur.

Semper dives eſt chriſtiana paupertas, quia plus eſt quod habet, quàm quod non habet. Nec pavet in iſto mundo indigentia laborare, cui donatum eſt in omnium rerum Domino omnia poſſidere.

Difficile eſt ut laudabiliter viventem laus non capiat humana.

ſerm. 5. Nemo patientiam bonitatis Dei de peccatorum ſuorum impunitate contemnat, nec ideo illum æſtimet non offenſum, quem nec dum eſt expertus iratum.

ſerm. 6. Dilectio, quæ ſimul Deo hominique debetur, nullis unquam impeditur obſtaculis, ut non ei ſemper bene velle ſit liberum.

ſerm. 7. Merito Deus imitationem ſui ab eis exigit, quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit.

Per quæ ad ſalvandos Salvator advenit, & per hæc ad ſalvantem debent properare ſalvati.

Charitas robur fidei, fides for-

titudo eſt charitatis.

Pia vita ſanctorum nunquam aliena eſt crucis Chriſti.

Difficile eſt quemquam in ſe non habere quod perimat.

Plus plerumque periculi eſt in inſidiatore occulto, quàm in hoſte manifeſto. *ſerm. 9.*

Inſidiæ ſunt in divitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtijs. Illæ elevant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat ſanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia eſt negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ. *ſerm. 11.*

Libentiùs ſuſcipitur labor pro deſiderio voluptatis, quàm pro amore virtutis.

Vix inveniuntur qui temporalibus æterna præponant.

Artifex miſericordia Dei ſplendidiſſimum in mandatis ſuis condidit ſpeculum, in quo homo faciem ſuæ mentis inſpiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut diſſimilis eſſet, agnoſceret.

Apud ſummum Patrem, qui

non fuerit in charitate fratrum, non habebitur in numero filiorum.

Quod ſuis quiſque delicijs ſubſtrahit, debilibus impendat & egenis.

ſerm. 12. Abutuntur quidam de patientia Dei, & qui non ſunt in conſcientia liberi, fiunt de longa impunitate ſecuri, cum ideo differatur ultio, ut tempus poſſit habere correctio.

De Paſſione Domini. Utile nobis eſt, ne fiat plerumque quod volumus,

ſerm. 5. Deus juſtus & bonus, quando ea, quæ nocitura ſunt petuntur, negando miſeretur.

ſerm. 8. Suſcepit *Dominus*, naſcendo ex nobis, quod poſſet offerre pro nobis.

Qui non proficit, deficit, & qui nihil acquirit, non nihil perdit.

ſerm. 9. Nullum peccatum ſine cupiditate committitur.

Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio.

Anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit.

Nullum eſt in illo corde juſtitiæ veſtigium, in quo ſibi avaritia fecit habitaculum.

Miſerendi noſtri cauſam Deus niſi in ſua bonitate non habuit. *ſer. 13.*

Mirabilior eſt ſecunda hominum generatio, quàm prima conditio: quia plus eſt in noviſſimis ſæculis reparaſſe Deum quod perierat, quàm à principio feciſſe quod non erat.

Crux Chriſti, quæ ſalvandis eſt impenſa mortalibus, & Sacramentum eſt, & exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur divina: exemplum, quo devotio invitatur humana. Sive contra ambitionem ſive contra concupiſcentias carnis, ſive contra hæreticorum jacula dimicemus, Dominica cruce ſemper armemur. *De Reſurrectione Domini, ſerm. 2.*

Veſtram in *Chriſto* redamate naturam.

Suſceptio crucis eſt interfectio cupiditatum, occiſio vitiorum, de-

clinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris.

De Aſcenſione Domini. ſerm. 1. Chriſti Aſcenſio noſtra provectio eſt, & quo præceſſit gloria capitis, eo ſpes vocatur & corporis.

Hodie non ſolum Paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cælorum in Chriſto ſuperna penetravimus.

ſerm. 2. Surſum vocatos animos deſideria terrena non deprimant, ad æterna præelectos peritura non occupent.

De Pentecoſte. ſerm. 1. Ubi Deus magiſter eſt, quàm citò diſcitur, quod docetur.

De jejunio Pentecoſtes. ſerm. 1. Tunc demum ad animæ curationem proficit medicina jejunij, cum abſtinentia jejunantis eſuriem reficit indigentis.

De jejunio ſeptimi menſis. ſerm. 1. Parum eſt non auferre aliena, niſi largiaris & propria.

Ceſſet iniquitas, ſed non ſit otioſa juſtitia.

ſerm. 2. Grata eſt Deo, & terribilis Diabolo jejunantis oratio.

Non culpatur infirmus jejunium

ſolvens, à quo cibum accipit pauper eſuriens: nec eſcam ſumendo polluitur, qui eleemoſynam impertiendo mundatur.

Temporale donum in præmium tranſit æternum.

Obedientia mollit imperium, nec dura ibi neceſſitate ſervitur, ubi diligitur quod jubetur. *ſerm.4.*

Publica præferenda ſunt proprijs.

Dæmonis Tela, non ſunt aſpera corporis ſenſibus, ſed nimiùm carni, ut animæ noceant, blandiuntur.

Plus debemus noſtris pro conſortio gratiæ, quàm alienis pro communione naturæ.

Rationabilis animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi. *ſerm.5.*

Æternis bonis inſeparabiliter inhærendum, temporalibus verò tranſeunter utendum eſt, ut peregrinantibus nobis, & ad Patriam redire properantibus quicquid de proſperitatibus mundi hujus oc-

curerit, viaticum ſit itineris, non illecebra manſionis.

Non apprehendi poteſt quod *à Deo* promittitur, niſi cuſtoditum fuerit quod jubetur.

ſerm. 9. Dilectio proximi dilectio Dei eſt.

Decretalium. Ep. 89. Qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.

Ep. 92. cap. 5. Nemo deſperandus eſt, dum in hoc corpore conſtitutus eſt.

cap. 8. Illicitorum veniam poſtulantem, oportet à multis etiam licitis abſtinere.

cap. 9. cap. 10. Difficile eſt inter ementis vendentiſque commercium non intervenire peccatum.

Non eſt liber à laqueis Diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.

S. P. CHRYSOLOGI FLOSCVLI.

AREOLA XI.

EST penes patrem libera ſervitus, paupertas dives. *Serm. 1.*

Oneratus venter ad vitia cor deponit. *ſerm. 2.*

Voluptas neſcit expleri. *ſerm. 3.*

Delicta non videt vis amoris.

Invidus ſimulat ſemper, mentitur invidus ſemper. *ſerm. 4.*

Totum *Dominus* pavorem divinitatis, totum metum judicis in habitum noſtrum dedit. *ſerm. 6.*

Sic *Deus* dat peccatis veniam, ut juſtitiam in ipſa miſeratione cuſtodiat.

ſerm.7. Ubi Deus Dominum mutavit in Patrem, voluit charitate magis, quàm poteſtate regnare, & amari maluit quàm timeri.

Hypocriſis dum cupit captivare oculos, oculis fit ipſa captiva: crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum.

ſerm.8. Quid ſit pater neſcit, neſcit ſe filium, qui non credit patri.

Jejunium ſine miſericordia non eſt virtus.

Qui non jejunat pauperi, Deo fingit.

Sine pietate jejunium occaſio eſt avaritiæ.

Quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat.

Da pauperi, ut des tibi: Quicquid tu pauperi dederis, tu habebis: Quod pauperi non dederis, habebit alter.

Qui, quod vult Deus, Deo negat, à Deo ſibi, quod deſiderat, vult negari.

ſerm.9. Arguit *Deus* largitatem ad ſuam famam, non ad pauperis famem.

Deus parva poſcit, maxima redditurus.

Vult in paupere ſibi dari: & qui vult ſibi dari, vult quod datum eſt ſe debere: & qui vult ſe debere quod datum eſt, vult largientibus nil perire.

Qui credita diffamat, urit verecundia debitorem.

Homo da in terra pauperi, quæ tibi manere vis in Cælo.

Diabolus ſemper primordia boni pulſat, tentat rudimenta virtutum, ſancta in ipſo ortu feſtinat extinguere, ſciens quod ea ſubvertere fundata non poſſit. *ſer. 11.*

Homo, Deus in te jejunat, in te eſurit: imo jejunat tibi, tibi eſurit, qui ſibi, ſicut neſcit manducare, ſic neſcit eſurire.

Cumpropter te jejunat Chriſtus, te eſurit.

Gloriatur in cælo Deus, unde pauper erubeſcit. *ſer. 14.*

Verus amor non niſi paſſionibus probatur.

Sine cauſa accuſant peccata,

quem pauper excuſat.

Excuſari non poteſt, quem fames pauperis accuſat.

ſer. 19. Quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ Chriſtus: ſine anima corpus non vivit, non vivit anima ſine Chriſto.

ſerm. 20 Gubernationis peritiam non probat temperies ſerena, ſed procelloſa tempeſtas.

ſerm. 21 Divina ſemper contraria ſunt humanis.

ſer. 24. Plus vigilare, plus vivere eſt.

ſer. 25. Quid cum terra illi qui poſſidet cælum?

ſer. 28. Qui non facit quod juſſit Dominus, gratis ſperat quod *Dominus* promiſit.

ſer. 40. Nil durum, nil amarum, nil grave computat amor verus.

ſer. 41. Amore pauperis Deus ſuum regnum vendit, & ut emere illud omnis homo poſſit, fragmentum panis poſuit in precium. Vult habere omnes, qui tantum petijt precij, quantum hominem ſcit habere.

Deus

Deus regnum ſuum fragmento panis vendit, quis excuſare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accuſat?

Prandium noſtrum ſit pauperis cœna, ut menſa Chriſti noſtrum paretur in prandium.

Sint deliciæ pauperum noſtra jejunia.

Tu ſolum quod pauperi dederis, hoc habebis.

Jejunium ſine pietate jejunat. ſer. 42.

Fames eſt avaritiæ jejunium ſine miſericordia.

Populis populariter eſt loquendum. ſer. 43.

Eſt orationis anima jejunium, jeiunij vita miſericordia eſt.

Audiat petentem, qui petens vult audiri.

Auditum Dei aperit ſibi, qui ſuum ſupplicanti non claudit auditum.

Jeiunium jeiunator intelligat: eſurientem ſentiat, qui vult Deum ſentire quod eſurit.

Homini aſtare toto tempore

libet, & Deo aſſiſtere nec puncto libet.

In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit.

Beatus qui cum Patrem noverit habere Deum, præter cæleſtem Patriam nihil requirit.

ſer 54. Qui de fraude Deo offert, cumulat crimina, non emundat, quia Deus in tali munere exuvias ſuorum pauperum, non miſericordias tuetur.

Sine cauſa Deo plorat, contra quem iuſtè cauſa pauperis ploraverit Deo.

ſer. 67. Chriſtus breviter orare docuit, qui citò vult poſtulata præſtare.

Malo qui non caruerit, frui non poteſt bono.

Sic te *Dei* filium ſcito, ut ſer-
ſer. 68. vum te eſſe non neſcias.

Qui ſe Dei filium credit, actu, vita, moribus, honeſtate, tanto generi reſpondeat.

Servus Dominum patrem vocare audet: iudicem ſuum reus nuncupat genitorem.

Si non damus, quia non accipimus non queramur. *ſer. 103.*

Recidiva læthalis eſt ſæpius ægritudo. *ſer. 113.*

Vitia non noſſe felicitatis eſt, noſſe periculi, viciſſe virtutis eſt. *ſer. 116.*

Omnes cæleſtia cupientes, terrenorum bonorum laqueis irretiri non poſſunt. *ſer. 128.*

Theſaurus bonorum omnium Chriſtus eſt.

Quid debeat, quid poſſit non reſpicit vis amoris. *ſer. 147.*

Amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium. Vadit quo ducitur, non quò debeat.

Homo quare tibi tam vilis es, qui tam pretioſus es Deo? *ſer. 148.*

Nemo judicet humano modo, quod divino geritur ſacramento.

Medicus non ſit ingratus, qui per ſalutem revocat ad ſalutem. *ſer. 167.*

Recipit peccatores Deus, ſed Deus peccatores eſſe non ſinit, quos recipit. *ſer. 168.*

Chriſtus peccata non recipit,

cum recipit peccatorem.

Ser. 170. Eſt iucundius nobis inveniſſe perdita, quàm non perdidiſſe ſervata.

Morientem divitiæ non ſequuntur.

S. SALVIANI FLOSCVLI.

AREOLA XII.

IN ſcriptiunculis noſtris non lenocinia eſſe volumus, ſed remedia. *De gubernatione Dei. Præfat.*

Mens boni ſtudii ac pii voti etiam ſi effectum non invenerit cæpti operis, habet tamen præmium voluntatis.

Superfluus dolor, qui malos doleat beatos eſſe, cum utique quicumque mali ſunt, ſucceſſu rerum deteriores fiant. *Lib. 1.*

Nemo aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo.

Non poſſunt cujuſquam falſo judicio eſſe miſeri, qui ſunt verè ſuâ conſcientiâ beati.

Turpia atque obſcæna ſectantes, etſi juxta opinionem ſuam beati ſunt, quia adipiſcuntur quod volunt, re tamen ipſa beati non ſunt, quia quod volunt, nolle debuerant.

Nulla eſt nobis ratio precandi, ſi ſpes tollitur impetrandi.

Modeſtia ſupplicationis, vocem conciliat ſupplicantis.

Nequaquam injuſtum poſſumus dicere, in quo divinum eſſe judicium non poſſumus denegare, quia ſumma juſtitia eſt voluntas Dei. Neque ideo non juſtum eſt quod Divinitas agit, quia capere vim divinæ iuſtitiæ homo non valet.

Ira eſt divinitatis, pœna peccantis.

Uſitatum hoc humanæ mentis eſt vitium, illa magis velle, quæ deſunt.

Generale ferme eſt omni homini, ut Deo ſemper ingratus ſit. Inſitoque hoc & quaſi nativo malo ſe cuncti invicem vincunt, ut beneficiis Dei detrahant, ne debi-

tores ſe eſſe cognoſcant.

Maria ſupplicio adficitur, ut Aaron confuſione multetur.

Quàm beati eſſemus omnes, ſi quàm promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipſi Deum audire vellemus. *lib. 2.*

Si Chriſtianus es, neceſſe eſt ut regi te à Deo credas.

Nos in contemptum noſtri divinam convertimus charitatem.

Humana dicta argumentis ac teſtibus egent, Dei autem ſermo ipſe ſibi teſtis eſt: quia neceſſe eſt quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum ſit teſtimonium veritatis. *lib. 3.*

Probat etiam in majoribus, ſi res exigat, executorem ſe idoneum fore, á quo minora complentur.

Nulli ſervorum licet, ex his quæ Dominus ſuus imperat, eligere pro arbitrio quid velit facere, quid nolit, & inſolentiſſima abuſione, quod placuerit adſumere, quod diſplicuerit repudiare.

Si pro arbitrio ſuo ſervi Do-

minis obtemperant, ne in iis quidem, in quibus obtemperaverint, obſequuntur.

Quando ſervus ex Domini ſui iuſtis ea facit tantummodo, quæ vult facere, iam non dominicam voluntatem implet, ſed ſuam.

Neque iuſta cauſario eſt, cur præferantur aliqua, ubi facienda ſunt omnia.

Prima irarum tela maledicta ſunt, & quicquid non poſſumus imbecilli, optamus irati.

In omni animorum indignantium motu votis malis pro armis utimur.

Detrahendi libido terminum non habet. Semper admodum cibo, nunquam detractione ſaturamur.

Etiam in hoc de Dei miſericordia querimur, quia tribuat quod rogamus.

Cum à nobis nihil penitus Dominicæ iuſſionis fiat, quid eſt quod nos queramur de Deo, cum queri magis Deus de nobis omnibus poſſit.

Quis

Quis juſtæ querimoniæ locus eſt, hoc pati quemque quod fecerit?

Servorum hic contemptus eſt maximus, ſi non faciant quod jubentur.

Faciliùs invenias reos malorum omnium, quàm non omnium: faciliùs majorum criminum, quàm minorum.

In hanc morum probroſitatem omnis Eccleſiaſtica plebs redacta eſt, ut in cuncto populo Chriſtiano genus quodammodo ſanctitatis ſit minus eſſe vitioſum.

Templa atque altaria Dei minoris reverentiæ quidam habent, quàm cujuſlibet minimi ac municipalis iudicis domum.

Qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum.

Non eſt nunquam omnino feciſſe, facere ceſſaſſe.

Non ſanat unius converſio crimina plurimorum.

Non ſufficit ad placandum Deum,

quod unus peccata deſerit, quem univerſitas totius humani generis offendit.

Nihil omnino prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus.

Vita à profeſſione diſcordans abrogat illuſtris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem.

Lib. 4. Nomen ſine actu atque officio ſuo nihil eſt.

Volumus delinquere, & nolumus verberari.

Omnes volumus impune peccare.

Nego ullum eſſe quamlibet magni criminis reum, qui adquieſcat debere torqueri.

In eodem crimine punimus alios, nos abſoluimus.

Culpam ipſam inopia minus culpabilem facit.

Excuſabilis furti reus eſt, qui ad furtum cogi videtur invitus.

Quàmlibet aſpera & adverſa patiamur, minora patimur quàm meremur.

Maxima accuſatrix hominum noxiorum eſt uſurpatrix innocentiæ arrogantia.

Criminoſior culpa eſt, ubi honeſtior ſtatus.

Si honoratior eſt perſona peccantis, peccati quoque maior invidia.

Atrocius ſub ſancti nominis profeſſione peccamus.

Criminoſior eſt eius impudicitia qui promiſerit caſtitatem.

Magis damnabilis eſt malitia quam titulus bonitatis accuſat: & reatus impii eſt pium nomen.

Plurimi pœnas peccatorum ſuorum perferunt, & intelligere cauſas pœnarum nemo dignatur. *lib. 5.*

Ipſi in nos divinitatem armamus.

Cogimur ad ulciſcendas criminum noſtrorum immanitates nolentem Deum. Prope eſt ut eum non permittamus ut parcat. Nam cum in eum nullum unquam iniuſtitiæ ſignum cadere aut apparere poſſit, ſic agimus, ut ſi enormitates noſtrorum ſcelerum non

non ulciſcitur*, iniuſtus eſſe videatur.

Non prius eſt ut de vita homines, quàm de iniquitate diſcedant.

Nouum prorſus converſionis genus: licita non faciunt, & inlicita committunt.

Legi quondam in quodam loco: Nemo malus niſi ſtultus, ſi enim ſaperet, bonus eſſe mallet.

lib. 6. Qui forte ad ſpectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur.

In ſpectaculis quædam apoſtaſia fidei eſt, & ſpernitur Dei Templum, ut curratur ad Theatrum.

lib. 7. Nulli grata reprehenſio eſt.

Quamlibet malus, quamlibet perditus mavult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi.

Minoris piaculi res eſt, ſi honor Deo non deferatur, quàm ſi irrogetur injuria.

Sacrilegii genus eſt, Dei odiſſe cultores.

Ad Eccleſiam Qui à malis actibus tantùm

morte diſcedit, non relinquit ſcelera, ſed relinquitur à vitijs. *Catholicam. lib. 1.*

Peccare non deſinit quem in extremis ſitum recedere à criminibus ſola tantùm facit impoſſibilitas, non voluntas.

Neſcio an in extremis aliquid tentare medicina ſit: certe nihil tentare perditio.

In his quæ offeruntur ab homine, homo non ſuum reddit, Dominus ſuum recipit.

Quicquid libet homo pro Deo perferat, ſolui omnino non poteſt quod Deus pro homine perpeſſus eſt. Quia etiamſi paſſio ipſa non differat genere pœnarum, multum tamen diſtet neceſſe eſt diverſitate patientium. *lib. 2.*

Indecorum hoc ſanctæ menti eſt, ut bona ſua creſcere malis arbitretur alienis, & meliorem ſe eſſe æſtimet comparatione pejorum.

Nihil eſt turpius quàm excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilem vilitate.

Aſſumptio religioſi nominis ſponſio eſt devotionis.

Religioſus debet quicquid ſe profeſſus eſt agnoviſſe.

Omnes ad effectum atque appetitum utilitatis ſuæ, naturæ ipſius magiſterio atque impulſione ducuntur.

Etiam ſi non habeant ſancti quæ redimant, habent tamen quæ emant. Etiam ſi pœna non ſit quæ timeatur, eſt tamen regnum, quod ambiatur.

Si opes non damus ad peccatorum redemptionem, demus ſaltem ad emendam beatitudinem: ſi non damus ne damnemur, demus ſaltem ut muneremur.

Humanis promiſſionibus ſpes commodatur; Deo negatur.

Omnia in rebus humanis ſpes futurorum agunt.

Totum inter homines ſpebus agitur, ſolus Deus eſt, de quo deſperatur.

lib. 3. Infeliciſſime omnium cogitas quàm bene poſt te alij vivant, non

cogitas quàm male ipſe moriaris.

Initium ſapientiæ eſt in timore Chriſti, perfectio in amore. *lib. 4.*

Sapientia Chriſtiani timor eſt atque amor Domini.

Nullum omnino tam grande crimen eſt, quod non cujus facinore committitur, ejus ſententia ſublevetur.

Uſurpata abſolutio damnationem parit.

Quicumque ſibi ſe excuſat, accuſat Deo.

Nihil durum aut auſterum Chriſtianis videri debet, quia quantalibet pro ſempiterna beatitudine Chriſto offerant, vile eſt quod datur, ubi tam grande eſt quod accipitur.

Nihil magnum in terris ab homine Deo ſolvitur, ubi quod eſt in cælo maximum comparatur.

Totum durum eſt quicquid imperatur invitis.

Pene omnis ſermo divinus habet æmulos ſuos: Quot generæ præceptorum ſunt, tot adverſariorum.

Mavult quilibet improbus execrari legem, quàm emendare mentem: Mavult præcepta odiſſe, quàm vitia.

Cuncti, qui oderunt mandatum ſacrum, cauſam odij in ſeipſis habent.

Ep. 3. Augmentum reatûs eſt, innocentiam jactare poſt culpam.

ep. 4. Honeſtè pro reconciliando parentum affectu cuncta tentantur.

Nemo meliùs diligit, quàm qui maximè veretur offendere.

Nihil de ultione perdit filio ignoſcens pater.

Felicius multò eſt & laudabilius ſuis aliquem etiam immeritò ignoſcere, quàm in ſuos etiam meritò vindicare.

S. VALERIANI FLOSCVLI.

AREOLA XIII.

ILLA nobis ſunt ante omnia cogitanda ſupplicia, ubi homo viuit durante pœna, ubi nec tormenta corpori, nec deſunt membra tortori. Hom. 1.

Non cognoſcit Dominum, qui conditionis ſuæ non cognoſcit officium.

Si vis videre Dominum, require mendicum, ſuſcipe peregrinum, viſita infirmum, curre ad carcerem.

Ne involutum pannis contemnas; in hac enim veſte primùm

Dominus, cum à Magis quærere-tur, inventus eſt.

In hoc ſolo conſtat converſionis noſtræ ratio, ut boni ſimus.

Vita noſtra ita ſit lucida, ut ſit omnibus nota. Integritas religioni, pudor ſerviat humilitati?

Quid tibi prodeſt ſobrietas, ſi vitia ebrietatis exerceas.

Multa ſunt quæ viam proſperæ
Hom. 2. ſalutis impediunt. Hujus ergo viæ & eligendus nobis & muniendus acceſſus eſt, quia ſicut eſt arduus, ita & pervius.

Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non deſcendit. Poteſt quidem habere palmam, ſed non habet gloriam.

Ubi liberiùs pergitur, faciliùs pervenitur.

Hom. 3. Inde eſt quod multos porta mortis recipit, quia perituris ſemper vitæ difficultas occurrit.

Conſumunt authorem beneficia, quæ conſtiterint extorta.

Hom. 4. Quicumque commodatam pecuniam ultro reddiderit, ſibi re-

ponit. Non difficilè enim homo, cum opus fuerit, quodlibet impetrat, ſi fœneratori ſuo celeri ſatisfactione reſpondeat.

Nihil votis ſuis præſtitit, cui neceſſe eſt invito reddere quod promiſit.

Parum ille habet de religione, quem ſtudere vides ſæculo, & plus præſenti vitæ favere quàm æternæ gloriæ.

Qui habet vnicum filium, cogitet Chriſtum ſibi natum, atque inter duos aut tres vel plures opes ſuas dividat, ne Chriſtus noſter exhæredatus abſcedat.

Quod ſi tantùm gaudes numero filiorum, moneo ut admiſſo ad conſortium hæreditatis Redemptore tuo, ita patrimonij tui diviſionem temperes, quaſi aut unum minus natum tibi judices, aut unum plus accreviſſe gratuleris.

Nihil futuro judicio debet, qui quotidie vota perſoluerit: nec eſt unde rationem in poſterum præſtet, qui de die in diem Domino

bonorum operum fructus juſto labore ditatus obtulerit.

Nemo deſpiciat nudum, nemo conturbet aſpero ore mendicum.

H.m.5. Difficiliùs ſemper ſanatur, quicquid extrinſecus colliſionis includitur.

Inextricabile profectò malum eſt, doloſa conſilia miſcere blanditijs.

Tacendum planè eſt, cum improbus ſermo labia quieta ſollicitat.

Malo aliquis tacendo ſtultus, quàm nimium loquendo judicetur inſanus.

Hom.6. Facile eſt, quamvis profundi gurgitis undam ſiccari, ſi ortus aquæ poſſit excludi.

Qui putandus eſt otioſus eſſe ſermo, niſi ignarus rationis, & nuncius falſitatis, cui id ſtudij eſt aut ridenda confingere, aut de incertis quaſi certa ſentire?

Detracta per jocum coma, quamvis nihil operetur doloris, multum tamen exhibet fœditatis.

Solet nimia oris facetia excitare motus animorum, & ſermo lætitia accinctus reciprocum parare convicium.

Otioſus ſermo ſatis otioſo nutritur authore.

Non tibi errandum eſt oculo, ut dubites circa quem potiſſimum opus miſerandæ erogationis impendas. Ipſum ſcias eſſe Chriſtum noſtrum, quem videris nudum, quem aſpexeris cæcum, quem offenderis claudicantem, quem pannis involutum, quem videris ſordida veſte contectum. *Hom.7.*

Stultitiæ genus eſt clauſum tenere, quod poteſt multiplici labore proficere, & ad uſum æternæ vitæ fructum exhibere juſtitiæ.

Stultitiæ profectò vanitas eſt, vitium in electione meritorum, plus mundum eligere quàm cæleſte regnum, magis ſæculo placere quàm Chriſto.

Ubi incumbit neceſſitas, non opus eſt ut perſonam diſcutias, ne cum indignos miſericordia

ſegregas, Dei filium pariter amittas.

Quis non oderit tale genus miſericordiæ, ubi oris elegantia infirmo pietas otioſa blanditur, & infructuoſæ cælo lacrymæ porriguntur? Non paſcunt eſurientem blanda colloquia, non veſtiunt alienam nuditatem infructuoſa conſilia. Crudelis eſt profectò pietas, quæ ſcit dolere miſeris, & neſcit ſubvenire perituris.

Hom. 8. *Omni petenti te tribue.* Luc. 6. Non eſt otioſum, dilectiſſimi, quod omnibus petentibus eleemoſynam Dominus dare jubet. Sciebat neceſſariò aliquotiens inter malos etiam bonos latere, atque ideo bonos maloſque commiſcuit, ne cum indignos erogatio nimiùm cauta præteriret, etiam dignus miſericordia indonatus abſcederet. Nulla eſt diſcretio poſtulantis, nec eſt neceſſitas exploranda pauperis. Dantis, non accipientis fructus quæruntur. Non intereſt cui petenti eroges. Non enim requirit

Dominus utrum mereatur ille, qui poſtulat: ſed quærit quantum præſtet, qui donat.

Profectò nobis præſtamus, quotienſcumque miſeris ſubvenimus. Lucrum noſtrum eſt, noſtrarum erogatio facultatum.

Nihil tibi proſunt divitiæ tuæ, ſi divitiarum beneficijs non utaris.

Duo ſunt genera divitiarum. Unum quod ſuadet ad mortem: aliud quod ducit ad vitam.

Sine cauſa una die bonus eſt, qui altera deſcendit ingratus. *Hom 9.*

Præcedentis miſericordiæ beneficium perdidit, qui putat eſurienti ſemel ſufficere quod donavit.

Veſtire pauperem, corporis ſui eſt operuiſſe nuditatem.

Ubi virtutum Dominus diſceſſerit, facilè hoſtis aulam vacuæ poſſeſſionis invadit. *Hom.11.*

Cum noſtrum non ſit quod ſumus, quomodo noſtrum eſt quod habemus?

Ceſſant odia, ubi non reputatur injuria. *Hom.12*

Proximus tibi, quicumque eſt proximus Chriſti. Ita qui Deum diligit, oportet ut Chriſti ſui proximum veneretur.

Hom. 13 Omne poculum, cujus auxilio medicina ſpem humanæ ſalutis operatur, ex amaris ſpeciebus & dulcibus conſtat. Ita & lex quæ chriſtiana jura moderatur, ex amaris & dulcibus, hoc eſt, ex antiquis & præſentibus inſtitutis eſt condita.

Neque difficile eſt ibi inire pugnam, ubi videas præceſſiſſe victoriam.

Citò ſedet animis quod docetur exemplis.

Propter vanitatem hujus mundi difficile eſt cuiquam ad cæleſtia pervenire.

Hom. 14 Superbia acquieſcit injuriæ, ne pati videatur injuriam.

Hom. 16 Virtus quæ in parvis promittitur, faciliùs in maximis exhibetur.

Hom. 18 Apud Deum hoc eſt velle, quod facere.

Animus

Animus jam totus directus ad cælum, non facile recipit de terrena parte conſilium.

Nemo putet ex eo omnia ſibi licere, quia videt diſtrictioris vitæ tempora præterijſſe. Non æſtimet ille ebrietati aliquid fuiſſe permiſſum, qui videt conſtituto tempore ceſſare jejunium.

Non eſt utilis ſervus, qui feriatos dies ad hoc expectat ut dormiat. *Hom.12.*

Solet omnem honeſtæ vitæ ſtatum remiſſio incauta decipere.

Quid prodeſt ſi te Domino quadraginta diebus bonum exhibeas, & una die furore impiæ crudelitatis offendas?

Stultitiæ genus eſt alijs feciſſe lucrum, & ſibi paraſſe ſupplicium. *Hom.10.*

Nihil ſine cupiditate agitur, quotieſcumque peccatur.

Totam cauſam belli finivit, qui authorem pugnæ ſuperavit.

S. FVLGENTII FLOSCVLI.

AREOLA XIV.

IVSTITIA utendi conjugij hæc eſt, ut non explendæ libidinis, ſed ſubſtituendæ prolis obtutu ſibi conjuges congruo tempore miſceantur. *Epiſt. 1.*

Licitarum rerum uſus licitè cum temperantia geritur, donec rei licitæ renunciatio non vovetur.

Quod vovens Deo ſibi adimit facultas, nulla deinceps impune permittit uſurpare neceſſitas.

Illa inter conjuges eſt continentiæ certa promiſſio, quæ fuerit utriuſque conſenſione firmata.

Negotium ſubſtituendæ prolis ita debet à conjugibus peragi, ut ſubveniente verecundia, dum ſe ad opus fœcunditatis animus fidelis inclinat, modeſtiam ſimul naturalis honeſtatis, Deo adjuvante, cuſtodiat.

Quando juſtitia perſequitur culpam, non deſit miſericordia, quæ modeſte novit tenuare vindictam.

1. Magis parentes, qui verè diligunt filios, bene operando eis conſulunt, quàm divitias colligendo.

Ep 2. Salubris noxiæque triſtitiæ debet in corde manere diſcretio, quâ fit ut nec de amiſſione ſolatij temporalis concidat animus æternis rebus deditus; & de his ſalubrem triſtitiam ſumat, in quibus ſe aut minus aliquid, aut ſecus quàm oportuit, feciſſe conſiderat.

Sic viam mortalis hujus vitæ perage, ut ad æternam vitam valeas pervenire.

Alia ſunt Dei dona, quæ Deus

ita ſuis largitur fidelibus in præſenti tempore, ut eorum uſus in hac tantùm vita neceſſarius habeatur, quo futuræ vitæ meritum comparetur. Item ſunt alia quæ ſic hominibus in hoc tempore pietas divina largitur, ut non ſolum in hac vita cum hominibus maneant continua, verum etiam creſcant in retributione divina. Aliena verò ſunt, quæ ſic à Deo temporaliter donantur, ut temporaliter auferantur. Nonnunquam bene habentur, nonnunquam malè. Nonnunquam bene contemnuntur, nonnumquam malè. Bene quippe habentur, cum in eorum uſu timor Dei ſervatur; bene autem contemnuntur, cum in eorum contemptu à ſummo Deo gloria, non ab hominibus quæritur.

Fides noſtra non temporalibus, ſed æternis eſſe debet intenta.

Poſt obitum mariti temporalis omnes in corde tuo reliquiæ debent mundanæ cogitationis extingui. Et ſicut antea corporaliter or- *Gallam hic allequitur S. Fulg.*

plenus. Nec eſt quod illi à nobis afferatur cogitationis, ſermonis, aut operis placitum munus, quod ipſe non fuerit gratuita benignitate largitus.

Gratuita ſemper eſt Dei largitio, quia humanorum meritorum nulla unquam præcedit exactio: quia & ſi quod eſt bonum cujuſlibet hominis meritum, ab ipſo eſt utique, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum quod nec habere poteſt homo, niſi ab ipſo fuerit datum, nec perſeveranter habere, niſi fuerit ipſo cuſtode ſervatum.

Hæc Eccleſia vna & Catholica Sponſa eſt, quia inhæret Chriſto: Mater eſt, quia fœcundatur à Chriſto: Virgo eſt, quia incorrupta perſeverat in Chriſto. Hujus ſponſæ nec fœcunditate virginitas, nec virginitate fœcunditas impeditur.

Spiritalis virginum Sponſus non quærit in virgine carnem delitijs accuratam, ſed jejunijs caſtigatam.

Si

Si viſibilis cupiditas vindicatur in corpore, inimica inviſibilis poteſtas non dominatur in mente: illam feliciter vincimus, ſi fortiter cum iſta certemus, & de illa triumphus acquiritur, cum iſta calcatur.

Jejunijs ſic eſt adhibenda temperies, ut corpus noſtrum nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Talis tantaque virginis jejunium refectio ſubſequatur, ut nec ſaturitate corpus illiciat, nec ſuavitate ſuccendat. Suavitate quippe minuitur eleemoſyna pauperum, ſaturitate corpus efficitur bellicoſum. Illic fratribus debitum invaditur, hîc hoſti auxilium ſubrogatur.

Quod egenus accipere debuit, voluptas inſumit.

Veſtis talis ſit ſacræ virgini, quæ teſtis exiſtat intimæ caſtitatis.

Non habet caſtitatem veram, quæ intuentibus parat illecebram.

ſegregas, Dei filium pariter amittas.

Quis non oderit tale genus miſericordiæ, ubi oris elegantia infirmo pietas otioſa blanditur, & infructuoſæ cælo lacrymæ porriguntur? Non paſcunt eſurientem blanda colloquia, non veſtiunt alienam nuditatem infructuoſa conſilia. Crudelis eſt profectò pietas, quæ ſcit dolere miſeris, & neſcit ſubvenire perituris.

Hom. 8. *Omni petenti te tribue.* Luc. 6. Non eſt otioſum, dilectiſſimi, quod omnibus petentibus eleemoſynam Dominus dare jubet. Sciebat neceſſariò aliquotiens inter malos etiam bonos latere, atque ideo bonos maloſque commiſcuit, ne cum indignos erogatio nimiùm cauta præteriret, etiam dignus miſericordia indonatus abſcederet. Nulla eſt diſcretio poſtulantis, nec eſt neceſſitas exploranda pauperis. Dantis, non accipientis fructus quæruntur. Non intereſt cui petenti eroges. Non enim requirit

Dominus utrum mereatur ille, qui poſtulat : ſed quærit quantum præſtet, qui donat.

Profectò nobis præſtamus, quotienſcumque miſeris ſubvenimus. Lucrum noſtrum eſt, noſtrarum erogatio facultatum.

Nihil tibi proſunt divitiæ tuæ, ſi divitiarum beneficijs non utaris.

Duo ſunt genera divitiarum. Unum quod ſuadet ad mortem: aliud quod ducit ad vitam.

Sine cauſa una die bonus eſt, qui altera deſcendit ingratus. *Hom. 9.*

Præcedentis miſericordiæ beneficium perdidit, qui putat eſurienti ſemel ſufficere quod donavit.

Veſtire pauperem, corporis ſui eſt operuiſſe nuditatem.

Ubi virtutum Dominus diſceſſerit, facilè hoſtis aulam vacuæ poſſeſſionis invadit. *Hom. 11.*

Cum noſtrum non ſit quod ſumus, quomodo noſtrum eſt quod habemus?

Ceſſant odia, ubi non reputatur injuria. *Hom. 12.*

Proximus tibi, quicumque eſt proximus Chriſti. Ita qui Deum diligit, oportet ut Chriſti ſui proximum veneretur.

Hom. 13 Omne poculum, cujus auxilio medicina ſpem humanæ ſalutis operatur, ex amaris ſpeciebus & dulcibus conſtat. Ita & lex quæ chriſtiana jura moderatur, ex amaris & dulcibus, hoc eſt, ex antiquis & præſentibus inſtitutis eſt condita.

Neque difficile eſt ibi inire pugnam, ubi videas præceſſiſſe victoriam.

Citò ſedet animis quod docetur exemplis.

Propter vanitatem hujus mundi difficile eſt cuiquam ad cæleſtia pervenire.

Hom. 14 Superbia acquieſcit injuriæ, ne pati videatur injuriam.

Hom. 16 Virtus quæ in parvis promittitur, faciliùs in maximis exhibetur.

Hom. 18 Apud Deum hoc eſt velle, quod facere.

Animus

Animus jam totus directus ad cælum, non facile recipit de terrena parte conſilium.

Nemo putet ex eo omnia ſibi licere, quia videt diſtrictioris vitæ tempora præterijſſe. Non æſtimet ille ebrietati aliquid fuiſſe permiſſum, qui videt conſtituto tempore ceſſare jejunium.

Non eſt utilis ſervus, qui feriatos dies ad hoc expectat ut dormiat. *Hom.12.*

Solet omnem honeſtæ vitæ ſtatum remiſſio incauta decipere.

Quid prodeſt ſi te Domino quadraginta diebus bonum exhibeas, & una die furore impiæ crudelitatis offendas?

Stultitiæ genus eſt alijs feciſſe lucrum, & ſibi paraſſe ſupplicium. *Hom.10.*

Nihil ſine cupiditate agitur, quotieſcumque peccatur.

Totam cauſam belli finivit, qui authorem pugnæ ſuperavit.

S. FVLGENTII FLOSCVLI.

AREOLA XIV.

IVSTITIA utendi conjugij hæc eſt, ut non explendæ libidinis, ſed ſubſtituendæ prolis obtutu ſibi conjuges congruo tempore miſceantur. *Epiſt. II.*

Licitarum rerum uſus licitè cum temperantia geritur, donec rei licitæ renunciatio non vovetur.

Quod vovens Deo ſibi adimit facultas, nulla deinceps impune permittit uſurpare neceſſitas.

Illa inter conjuges eſt continentiæ certa promiſſio, quæ fuerit utriuſque conſenſione firmata.

Negotium ſubſtituendæ prolis ita debet à conjugibus peragi, ut ſubveniente verecundia, dum ſe ad opus fœcunditatis animus fidelis inclinat, modeſtiam ſimul naturalis honeſtatis, Deo adjuvante, cuſtodiat.

Quando juſtitia perſequitur culpam, non deſit miſericordia, quæ modeſte novit tenuare vindictam.

Magis parentes, qui verè diligunt filios, bene operando eis conſulunt, quàm divitias colligendo.

Ep. 2. Salubris noxiæque triſtitiæ debet in corde manere diſcretio, quâ fit ut nec de amiſſione ſolatij temporalis concidat animus æternis rebus deditus; & de his ſalubrem triſtitiam ſumat, in quibus ſe aut minus aliquid, aut ſecus quàm oportuit, feciſſe conſiderat.

Sic viam mortalis hujus vitæ perage, ut ad æternam vitam valeas pervenire.

Alia ſunt Dei dona, quæ Deus

ita ſuis largitur fidelibus in præſenti tempore, ut eorum uſus in hac tantùm vita neceſſarius habeatur, quo futuræ vitæ meritum comparetur. Item ſunt alia quæ ſic hominibus in hoc tempore pietas divina largitur, ut non ſolum in hac vita cum hominibus maneant continua, verum etiam creſcant in retributione divina. Aliena verò ſunt, quæ ſic à Deo temporaliter donantur, ut temporaliter auferantur. Nonnunquam bene habentur, nonnunquam malè. Nonnunquam bene contemnuntur, nonnumquam malè. Bene quippe habentur, cum in eorum uſu timor Dei ſervatur; bene autem contemnuntur, cum in eorum contemptu à ſummo Deo gloria, non ab hominibus quæritur.

Fides noſtra non temporalibus, ſed æternis eſſe debet intenta.

Poſt obitum mariti temporalis omnes in corde tuo reliquiæ debent mundanæ cogitationis extingui. Et ſicut antea corporaliter or- *Gallam hic alloquitur S. Fulg.*

nabaris viro, qui delectaretur ſpecie corporis, ita nunc ſpiritualiter ornanda es Chriſto, qui ſolam in te quærit pulchritudinem mentis. Ille ſponſus carnem tuam maceratam vult videre, non nitidam. Quocirca caſtigatione corporis acquire pulchritudinem cordis.

Oratio eſt in conſpectu Dei omne opus bonum, quo delectatur nihil indigens Deus.

Refectione tua non voluptas expleatur, ſed ſuſtineatur infirmitas.

Nobilitatem carnis, quæ ſuperbiæ fomes eſt, abjice; & nobilitatem ſpiritus perfecta cordis humilitate ſectare.

Voluntarium jejunium tuum eſuriem ſublevet jejunantium, ut in fructu miſericordiæ tuorum poſſit jejuniorum fœcunditas apparere.

Tunc utiliter fugies noxium pretioſæ veſtis ornatum, ſi nudos veſtias.

Fruſtra contemnis facultates

tuas, ſi noxias jactantiæ teneas in corde divitias. Non enim illi ſoli peccant, qui pro divitijs, quas habent, aliquam geſtant in corde jactantiam; imò graviùs delinquunt, qui volunt jactantiam cordis de divitijs habere contemptis, aut qui ſe propterea volunt pauperibus præponere, eo quod plura pauperibus videantur erogare.

Plures divitias pauperibus pro Chriſto dicitur expendiſſe Zachæus, pro quo viliſſima piſcatoriæ artis inſtrumenta reliquit Apoſtolus; & tamen à Chriſto non Zachæus dives pauperi Petro, ſed pauper Petrus diviti Zachæo præponitur, ut divitibus Chriſti nulla de contemptis divitijs jactantia naſceretur.

Non tenearis nexibus humanæ delectationis, & de Diabolo proſperè triumphabis.

Sicut bonorum noſtrorum non eget *Deus*, ſic ſemper abundat ut donet. Nec donando fit indigus, quia hoc donat, quo ſemper eſt *Ep. 3.*

plenus. Nec eſt quod illi à nobis afferatur cogitationis, ſermonis, aut operis placitum munus, quod ipſe non fuerit gratuita benignitate largitus.

Gratuita ſemper eſt Dei largitio, quia humanorum meritorum nulla unquam præcedit exactio: quia & ſi quod eſt bonum cujuſlibet hominis meritum, ab ipſo eſt utique, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum quod nec habere poteſt homo, niſi ab ipſo fuerit datum, nec perſeveranter habere, niſi fuerit ipſo cuſtode ſervatum.

Hæc Eccleſia vna & Catholica Sponſa eſt, quia inhæret Chriſto: Mater eſt, quia fœcundatur à Chriſto: Virgo eſt, quia incorrupta perſeverat in Chriſto. Hujus ſponſæ nec fœcunditate virginitas, nec virginitate fœcunditas impeditur.

Spiritalis virginum Sponſus non quærit in virgine carnem delitijs accuratam, ſed jejunijs caſtigatam.

Si viſibilis cupiditas vindicatur in corpore, inimica inviſibilis poteſtas non dominatur in mente: illam feliciter vincimus, ſi fortiter cum iſta certemus, & de illa triumphus acquiritur, cum iſta calcatur.

Jejunijs ſic eſt adhibenda temperies, ut corpus noſtrum nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Talis tantaque virginis jejunium refectio ſubſequatur, ut nec ſaturitate corpus illiciat, nec ſuavitate ſuccendat. Suavitate quippe minuitur eleemoſyna pauperum, ſaturitate corpus efficitur bellicoſum. Illic fratribus debitum invaditur, hîc hoſti auxilium ſubrogatur.

Quod egenus accipere debuit, voluptas inſumit.

Veſtis tâlis ſit ſacræ virgini, quæ teſtis exiſtat intimæ caſtitatis.

Non habet caſtitatem veram, quæ intuentibus parat illecebram.

Neceſſe eſt, ut quæ humano conſpectui concupiſcentiam ſeminat, in divino conſpectu iracundiam metat.

Corporalis virginitas, etiam Deo dicata, ſi virginitatem non ſervaverit cordis, nihil proderit in corpore cuſtodita, ſi ſpiritualis caſtitas fuerit in mente corrupta.

Non valens *Diabolus* virginitatem carnis in carne perdere, virginitatem ſpiritus conatur auferre.

Plerumque ad hoc carnis virginitatem quæ inferior eſt, non impugnat, ut illius quæ potior eſt, fundamenta ſuffodiat.

Vitiorum author, in eo quod vincere non poteſt vitijs ſuis, vincit virtutibus alienis. Armis, quibus eliditur, dejicit. Laudat, quâ ſe perſpicit victus ſuperari virtutem, ut victus poſſit captivare vincentem. Injicit enim cordi jactantiam, ut graviori lapſu de alto poſſit dejicere, ſi quos in humilibus videt gradu

firmiore pugnare. Nam, verbi gratiâ, cum gulæ delectamenta porrigit, ſi ſuſcipiatur, fomitem libidinis ſubminiſtrat: ſi reſpuatur, jactantiam de abſtinentia ſeminat. Inſinuat dilectionem pecuniæ: ſi tenuerit aſſenſum, avaritiæ gladio animum confodit incautam: ſi autem fuerit repulſus, inſidias, quas per tenacitatem tendere non potuit, per liberalitatem nequiſſimus tendit, & in opere miſericordiæ facit cordis ſuperbiam pullulare, ut eo quod egenti largitur, magna ſibi habere merita videatur.

Cum certamini manifeſto cedit, ad hoc ſe victum demonſtrat, ut vincat: ad hoc fugam ſimulat, ut perſequentem miſſis poſt tergum ſagittis occidat.

Bonis operatur mala, ſalubribus noxia, juſtis injuſta, & commodis præſtat incommoda.

Cum fuco juſtitiæ iniquitas tegitur, illa ſuperbiæ peſtilentia venenoſiùs ſerpit.

Quotiens cogitas de perfectione virtutum, noli conſiderare, quid aliæ minùs habeant, quàm tu habes: ſed quid tu minus habeas, quàm tu habere debeas. Noli alijs te comparare, ſed tibi.

Attende in te ſponſi tui amorem, conſidera Domini pietatem. Pius eſt Dominus, qui te ſibi fecit ancillam; ſpecioſus ſponſus qui te caſtificavit ſponſam. Idem tamen, quia verus eſt Dominus, & ſponſus eſt verus, utriuſque poteſtatis partes exequitur. Exigit de ancilla humilem ſervitutem, in ſponſa quærit integram caſtitatem. Servi ergo Domino cum timore, & exulta ſponſo cum tremore. Nam quia Dominus eſt, territat; & quia ſponſus eſt, zelat. Timens igitur cuſtodi Domini terrentis imperium, & tremens dilige ſponſi zelantis affectum. In ancilla Domini nihil ſuum prædo reperiat; in ſponſa Chriſti nihil ſuum adulter agnoſcat.

Quiſquis & beneficium rogat, & adjutorium flagitat, neceſſe eſt ut evidentiam ſuæ imbecillitatis & egeſtatis agnoſcat. Et ideo egeſtas noſtra, dari ſibi quod non habet poſcit, & imbecillitas noſtra cuſtodiri ſibi poſtulat, quod accepit.

Gratia Dei facit & ut humiles ſimus, & ut humiles perſeverare poſſimus. Qui enim potuit, quod non habuimus dare, ipſe poteſt quod accepimus cuſtodire.

Sicut qui ad patriam tendit donec perveniat, ſemper habet ubi ambulet. Sic etiam nos quamdiu in hoc mortali corpore conſtituti peregrinamur à Domino, præſens vita nobis eſt via, in qua ſemper habemus ubi poſſimus proficere, donec Deo perducente ad illam valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam pervenire.

Lacrymæ quæ ex compunctione cordis veniunt, & inimicum vincunt, & nobis donum lætitiæ

triumphalis acquirunt.

Ep. 6. Converſio potentium multùm militat acquiſitionibus Chriſti.

Neque haberi poteſt ipſe ſaltem orationis affectus, niſi divinitus fuerit attributus.

Ut deſideremus adjutorium gratiæ, hoc ipſum quoque opus eſt gratiæ. Ipſa namque incipit infundi, ut incipiat poſci; ipſa quoque amplius infunditur, cum poſcentibus datur.

Ep. 7. Non eſt perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis invenitur.

Salubris converſio duplici ratione conſiſtit, ſi nec pœnitentia ſperantem, nec ſpes deſerat pœnitentem. Etenim nonnunquam aut ſpem pœnitenti homini Diabolus adimit, aut ſperanti pœnitentiam. Unum dum onerat, comprimit: alterum dum elevat dejicit.

Pœnitentia nunquam eſt apud Deum ſera.

Sicut Medico noſtro nulla eſt

incurabilis plaga; ita nec aliquo tempore cæleſtis poteſt deficere medicina.

Bonum eſt ſi ad ejus miſericordiam confugiamus, cujus effugere juſtitiam non valemus.

Si aliquam ætatem judicaret Dominus converſionis remedio ineptam, non diverſis temporibus operarios vocaret ad vineam.

Qui in lætitia miſericordiam Dei contempſimus, correpti flagello triſtitiæ juſtitiam ipſius formidemus. Ita fit ut qui nobis abutendo ſanitate infirmitatem peperimus, per infirmitatem ſanitatis beneficia reparemus; & qui per lætitiam in tribulationes incidimus, per tribulationes ad lætitiam recurramus.

In tantum prodeſt tribulatio Chriſtianis, ut per hanc ſpiritus noſter Deo ſacrificium fiat.

Seipſum nobis *Dominus* & alimentum præſtat, ne deficiamus in via; & præmium ſeruat, ut gaudeamus in patria. *De diſpenſationibus Domini ſerm. I.*

S. CÆSARII FLOSCVLI.

AREOLA XV.

DE contritione animi redimuntur crimina voluptatum. *Hom. I.*

Mortificatione præſenti futura mortis ſententia prævenitur: & dum culpæ auctor humiliatur, culpa conſumitur: dumque exterior afflictio voluntariæ diſtrictionis infertur, tremendi judicij offenſa ſedatur; & ingentia debita labor ſoluit exiguus, quæ vix conſumpturus erat ardor æternus.

Tractantes cauſam ſalutis noſtræ, faciamus inter nos quod circa nos Medici facere ſolent.

plenus. Nec eſt quod illi à nobis afferatur cogitationis, ſermonis, aut operis placitum munus, quod ipſe non fuerit gratuita benignitate largitus.

Gratuita ſemper eſt Dei largitio, quia humanorum meritorum nulla unquam præcedit exactio: quia & ſi quod eſt bonum cujuſlibet hominis meritum, ab ipſo eſt utique, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum quod nec habere poteſt homo, niſi ab ipſo fuerit datum, nec perſeveranter habere, niſi fuerit ipſo cuſtode ſervatum.

Hæc Eccleſia vna & Catholica Sponſa eſt, quia inhæret Chriſto: Mater eſt, quia fœcundatur à Chriſto: Virgo eſt, quia incorrupta perſeverat in Chriſto. Hujus ſponſæ nec fœcunditate virginitas, nec virginitate fœcunditas impeditur.

Spiritalis virginum Sponſus non quærit in virgine carnem delitijs accuratam, ſed jejunijs caſtigatam. Si

Si viſibilis cupiditas vindicatur in corpore, inimica inviſibilis poteſtas non dominatur in mente: illam feliciter vincimus, ſi fortiter cum iſta certemus, & de illa triumphus acquiritur, cum iſta calcatur.

Jejunijs ſic eſt adhibenda temperies, ut corpus noſtrum nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Talis tantaque virginis jejunium refectio ſubſequatur, ut nec ſaturitate corpus illiciat, nec ſuavitate ſuccendat. Suavitate quippe minuitur eleemoſyna pauperum, ſaturitate corpus efficitur bellicoſum. Illic fratribus debitum invaditur, hîc hoſti auxilium ſubrogatur.

Quod egenus accipere debuit, voluptas inſumit.

Veſtis talis ſit ſacræ virgini, quæ teſtis exiſtat intimæ caſtitatis.

Non habet caſtitatem veram, quæ intuentibus parat illecebram.

Neceſſe eſt, ut quæ humano conſpectui concupiſcentiam ſeminat, in divino conſpectu iracundiam metat.

Corporalis virginitas, etiam Deo dicata, ſi virginitatem non ſervaverit cordis, nihil proderit in corpore cuſtodita, ſi ſpiritualis caſtitas fuerit, in mente corrupta.

Non valens *Diabolus* virginitatem carnis in carne perdere, virginitatem ſpiritus conatur auferre.

Plerumque ad hoc carnis virginitatem quæ inferior eſt, non impugnat, ut illius quæ potior eſt, fundamenta ſuffodiat.

Vitiorum author, in eo quod vincere non poteſt vitijs ſuis, vincit virtutibus alienis. Armis, quibus eliditur, dejicit. Laudat, quâ ſe perſpicit victus ſuperari virtutem, ut victus poſſit captivare vincentem. Injicit enim cordi jactantiam, ut graviori lapſu de alto poſſit dejicere, ſi quos in humilibus videt gradu

firmiore pugnare. Nam, verbi gratiâ, cum gulæ delectamenta porrigit, ſi ſuſcipiatur, fomitem libidinis ſubminiſtrat: ſi reſpuatur, jactantiam de abſtinentia ſeminat. Inſinuat dilectionem pecuniæ: ſi tenuerit aſſenſum, avaritiæ gladio animum confodit incautam: ſi autem fuerit repulſus, inſidias, quas per tenacitatem tendere non potuit, per liberalitatem nequiſſimus tendit, & in opere miſericordiæ facit cordis ſuperbiam pullulare, ut eo quod egenti largitur, magna ſibi habere merita videatur.

Cum certamini manifeſto cedit, ad hoc ſe victum demonſtrat, ut vincat: ad hoc fugam ſimulat, ut perſequentem miſſis poſt tergum ſagittis occidat.

Bonis operatur mala, ſalubribus noxia, juſtis injuſta, & commodis præſtat incommoda.

Cum fuco juſtitiæ iniquitas tegitur, illa ſuperbiæ peſtilentia venenoſiùs ſerpit.

Quotiens cogitas de perfectione virtutum, noli conſiderare, quid aliæ minus habeant, quàm tu habes: ſed quid tu minus habeas, quàm tu habere debeas. Noli alijs te comparare, ſed tibi.

Attende in te ſponſi tui amorem, conſidera Domini pietatem. Pius eſt Dominus, qui te ſibi fecit ancillam; ſpecioſus ſponſus qui te caſtificavit ſponſam. Idem tamen, quia verus eſt Dominus, & ſponſus eſt verus, utriuſque poteſtatis partes exequitur. Exigit de ancilla humilem ſervitutem, in ſponſa quærit integram caſtitatem. Servi ergo Domino cum timore, & exulta ſponſo cum tremore. Nam quia Dominus eſt, territat; & quia ſponſus eſt, zelat. Timens igitur cuſtodi Domini terrentis imperium, & tremens dilige ſponſi zelantis affectum. In ancilla Domini nihil ſuum prædo reperiat; in ſponſa Chriſti nihil ſuum adulter agnoſcat.

Quiſquis & beneficium rogat, & adjutorium flagitat, neceſſe eſt ut evidentiam ſuæ imbecillitatis & egeſtatis agnoſcat. Et ideo egeſtas noſtra, dari ſibi quod non habet poſcit, & imbecillitas noſtra cuſtodiri ſibi poſtulat, quod accepit.

Gratia Dei facit & ut humiles ſimus, & ut humiles perſeverare poſſimus. Qui enim potuit, quod non habuimus dare, ipſe poteſt quod accepimus cuſtodire.

Sicut qui ad patriam tendit donec perveniat, ſemper habet ubi ambulet. Sic etiam nos quamdiu in hoc mortali corpore conſtituti peregrinamur à Domino, præſens vita nobis eſt via, in qua ſemper habemus ubi poſſimus proficere, donec Deo perducente ad illam valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam pervenire.

Lacrymæ quæ ex compunctione cordis veniunt, & inimicum vincunt, & nobis donum lætitiæ

triumphalis acquirunt.

Ep. 6. Converſio potentium multùm militat acquiſitionibus Chriſti.

Neque haberi poteſt ipſe ſaltem orationis affectus, niſi divinitus fuerit attributus.

Ut deſideremus adjutorium gratiæ, hoc ipſum quoque opus eſt gratiæ. Ipſa namque incipit infundi, ut incipiat poſci; ipſa quoque amplius infunditur, cum poſcentibus datur.

Ep. 7. Non eſt perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis invenitur.

Salubris converſio duplici ratione conſiſtit, ſi nec pœnitentia ſperantem, nec ſpes deſerat pœnitentem. Etenim nonnunquam aut ſpem pœnitenti homini Diabolus adimit, aut ſperanti pœnitentiam. Unum dum onerat, comprimit: alterum dum elevat dejicit.

Pœnitentia nunquam eſt apud Deum ſera.

Sicut Medico noſtro nulla eſt

incurabilis plaga; ita nec aliquo tempore cæleſtis poteſt deficere medicina.

Bonum eſt ſi ad ejus miſericordiam confugiamus, cujus effugere juſtitiam non valemus.

Si aliquam ætatem judicaret Dominus converſionis remedio ineptam, non diverſis temporibus operarios vocaret ad vineam.

Qui in lætitia miſericordiam Dei contempſimus, correpti flagello triſtitiæ juſtitiam ipſius formidemus. Ita fit ut qui nobis abutendo ſanitate infirmitatem peperimus, per infirmitatem ſanitatis beneficia reparemus; & qui per lætitiam in tribulationes incidimus, per tribulationes ad lætitiam recurramus.

In tantum prodeſt tribulatio Chriſtianis, ut per hanc ſpiritus noſter Deo ſacrificium fiat.

Seipſum nobis *Dominus* & alimentum præſtat, ne deficiamus in via; & præmium ſeruat, ut gaudeamus in patria. *De diſpenſationibus Domini ſerm. 1.*

Pluvia Dei eſt ſermo ſanctæ prædicationis.

Etſi non poſſunt omnes arbores æquales fructus afferre, nulla tamen debet in agro dominico ſterilis permanere.

Quid recipiet qui alienum tulerit, ſi ſemper ardebit, qui de ſuo non dederit? Si judicium ſine miſericordia erit illi, qui non facit miſericordiam, quale judicium erit illi qui fecerit & rapinam?

Theſaurum noſtrum in cælis ponamus, ut etiam cor noſtrum in cælis habere poſſimus.

Ut in cælis theſaurizemus, cæleſtia diligamus.

Vis noſſe ubi theſaurizas? attende quod amas; attende quod cogitas. Ita fiet ut theſaurum tuum ex hoc amore cognoſcas, & amorem tuum indicium tuæ cogitationis intelligas.

Qui eſt Angelorum eſca, nobis factus eſt medicina.

ſerm. 3. Facta eſt Maria ſcala cæleſtis

quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, ut per ipſam homines aſcendere mereantur ad cælos. *De laudibus Mariæ.*

Nec unquam redire velle poteſt ovis errans, niſi fuerit boni Paſtoris inquiſitione præuenta, & humeris reportata. *Tract. De Incarnatione & gratia.*

S. CÆSARII FLOSCVLI.

AREOLA XV.

DE contritione animi redimuntur crimina voluptatum. *Hom. 1.*

Mortificatione præſenti futura mortis ſententia prævenitur : & dum culpæ auctor humiliatur, culpa conſumitur : dumque exterior afflictio voluntariæ diſtrictionis infertur, tremendi judicij offenſa ſedatur ; & ingentia debita labor ſoluit exiguus, quæ vix conſumpturus erat ardor æternus.

Tractantes cauſam ſalutis noſtræ, faciamus inter nos quod circa nos Medici facere ſolent.

Si læſura aliqua vel querela in prima corporis cute ſentitur, curatio medicamenti blandioris apponitur. Si verò in oſſibus vulnus abſconditum, aut in viſcerum profunda dimerſum eſt, auſteriorem ac violentiorem poſcit vis occulta medicinam, ut ulceris magnitudo aut ſectione, aut exuſtione ſupercuretur, & dolor dolore pellatur. Similis ratio in ægritudine interioris hominis adhibenda eſt.

Graves cauſæ graviores & acriores & publicas curas requirunt, ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat.

Homo ipſe ſe decipit, ſi cum in medullis fervere ſibi ſentiat morbum, per ſuperficiem corporis molle deducat unguentum.

Ego puto, chariſſimi, quia ita Deus noſter pauperes in hoc mundo eſſe permiſerit, ut in pauperibus divitum fidem probaret, vel in pauperum miſericordia divitibus miſereretur, ut abundantibus

boni operis ac redemptionis ſuæ copia non deeſſet, ut benevolum locupletem etiam inopia aliena ditaret, & opulentior quiſque ingentia de egente lucra reciperet, & mirifico ſummoque commercio, dum inopi miſericordia temporali largitate confertur, inde æternus theſaurus compenſetur.

Intelligamus quid damnationis erit ſpoliaſſe pauperem, quem ſummum crimen eſt non paviſſe.

Intolerabilis dolor erit ſi inde quiſque cauſas mortis incurrat, unde vitæ gaudia comparare potuiſſet.

Noli deſpicere inopem, qui cum ſibi pauper ſit, facere te divitem poteſt.

Rapiamus de præſenti ſæculo ferventi devotione quod poſſumus.

Citò tranſeunt dies noſtri, utinam bene tranſeant.

Rapiamus quod poſſumus de hoc ſæculo, gratias agentes illi qui ita diſpenſavit utramque vitam, ut

laborum & agonum tempora citò finirentur: honorum verò & præmiorum gaudia ſine fine durarent.

Hom. 2. Rogo vos fratres chariſſimi, ut in iſto legitimo ac ſacratiſſimo Quadrageſimæ tempore exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præſumat, niſi forte ille quem jejunare infirmitas non permittit: quia alijs diebus jejunare, aut remediũ, aut præmium eſt; in Quadrageſima non jejunare, peccatum eſt. Alio tempore, qui jejunat accipiet indulgentiam: in his diebus qui poteſt, & non jejunat, ſentiet pœnam. Et ipſe tamen qui jejunare non prævalet, ſecretiùs ſibi ſoli, aut ſi eſt alius infirmus cum ipſo, ſibi in domo præparet quod accipiat: & illos qui jejunare prævalent, ad prandium non invitet: quia ſi fecerit, non ſolùm Deus, ſed etiam homines poſſunt intelligere illum non pro infirmitate non poſſe jejunare, ſed quod pro gula ſe abſtinere non prævalet. Et magis cum gemitu & ſuſpirio & ani-

mi dolore manducet, pro eo quod alijs jejunantibus ille abſtinere non potuit. Quid prodeſt unicuique infirmo aliquem ſanum rogare ad prandium, ut ſibi augeat de alterius gula peccatum? Pro eo tamen quod non poteſt jejunare, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata quæ non poteſt jejunando curare, poſſit eleemoſynas dando redimere.

Bonum eſt jejunare, ſed melius eſt eleemoſynas dare. Si aliquis utrumque poteſt, duo ſunt bona. Si verò non poteſt, melius eſt eleemoſynam dare. Si poſſibilitas non fuerit jejunandi, eleemoſyna ſufficit ſibi ſine jejunio: jejunium ſine eleemoſyna omnino non ſufficit. Ergo. Si aliquis non poteſt jejunare, eleemoſyna ſine jejunio bonum eſt. Si verò prævalet jejunium cum eleemoſyna, duplex bonum eſt. Jejunium ſine eleemoſyna nullum bonum eſt, niſi forte ſi ita ſit aliquis pauper, ut non habeat omnino quod tribuat. Sed

quis erit qui ſe poſſit excuſare, cum pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? Et quare frigidam dixit? Ne forte poſſit aliquis pauper de lignorum penuria excuſare, aut certe dicere ſe vaſculum, ubi aquam calefaceret, non habere.
Iſai 58. Denique & per beatum Prophetam, fratres chariſſimi, Dominus ita hortatur & admonet eleemoſynam fieri, ut propterea nullus pauper ſit qui ſe valeat excuſare. Sic enim ait: *Hoc eſt jejunium, quod elegi, dicit Dominus: frange eſurienti panem tuum.* Non dixit, ut integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet: ſed frange, inquit: hoc eſt dicere, etiamſi tanta tibi paupertas eſt, ut non habeas niſi unum panem, ex ipſo tamen frange, & pauperi tribue.

Laborioſum & faſtidioſum nobis eſt in pauperibus recipere Chriſtum in patria noſtra, timeo ne nobis ille vicem reddat in cælo,

&

& non nos recipiat in beatitudinem ſuam : contemnimus illum in mundo, timeo ne nos iterum contemnat in cælo.

Jejunia noſtra eleemoſynarum pinguedo commendet : quia tale eſt jejunium ſine eleemoſyna, qualis ſine oleo lucerna. Nam ſicut lucerna, quæ ſine oleo accenditur, fumigare poteſt, lucem habere non poteſt : ita jejunium ſine eleemoſyna carnem quidem cruciat, ſed claritatis lumine animam non illuſtrat.

Ego in hoc neminem judico, unuſquiſque attendat conſcientiam ſuam, me tamen arguo & reprehendo, quia forte aliquoties evenit, ut per negligentiam veſtimenticula mea quæ debuerunt accipere pauperes, devorarentur à tineis : & timeo ne mihi ipſi panni ad teſtimonium proferantur in die judicij.

Sic jejunemus, ut prandia noſtra pauperibus erogemus, ut quod pranſuri eramus, non in noſtris

ſacculis, ſed in viſceribus pauperum reponamus: quia manus pauperis gazophilacium Chriſti eſt, quicquid accipit, ne in terra pereat, in cælo reponit. Quia quivis cibus, quem pauper accipit, licet conſumatur, merces tamen boni operis in cælo reconditur.

Cum de eleemoſynis loquimur, non conturbetur anguſta paupertas. Omnia enim complevit, qui quicquid potuit fecit: quia voluntas perfecta faciendi reputatur pro opere facti.

Hom. 4. A quo quis vincitur, ſicut & Apoſtolus teſtatur, ejus & ſervus eſt. Iſte obtemperat injuſtitiæ, ille iræ. Iſte ſuperbiæ, ille ſævitiæ. Iſte malitiæ, ille iracundiæ. Iſte avaritiæ, ille luxuriæ. Neſcio quomodo ſe inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot Domini in partes ſuas diſtrahunt. Quid prodeſt quod liber eſt in natura, qui ſervus eſt in conſcientia? Videmus nos extrinſecus generis claritate ſublimes, intrinſecus mentis infir-

mitate degeneres : innocentum Dominos, & criminum ſervos.

Sine cauſa eſt à foris vel genere vel honore conſpicuus, qui non eſt intus ingenuus.

Gravi damnatione iterantur crimina, poſtquam Chriſti ſanguine ſunt redempta.

Si forte hominis cujuſcumque ſervus duris Domini ſui urgeatur imperijs, quocumque fugiendo aut latitando evadere & declinare iniquum Dominum poteſt. Servus peccati quo fugiet? quo ſe trahet? Quocumque fugiat, non fugit ſeipſum. Non eſt quo eat mala conſcientia. Sequitur ſe, imò non recedit à ſe.

Vix aliquod deforis poteſt eſſe remedium, quando intus eſt vulnus incluſum.

Quid prodeſt quod homo ſonantem fugit arcum, qui jaculum ſecum portat infixum?

Fecit quiſque peccatum, ut aliquam caperet voluptatem. Remanet quod damnat, præterit quod

delectat. Conſummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertranſit.

Diabolum. * Hunc Chriſtus non in ſua divinitate ſed in noſtra carne ſuperavit, ut etiam à nobis ſuperari poſſe monſtraret.

Hom. 5. Juſtitia non punit quod natura compellit.

Tanto *Diabolus* infeſtior eſt ad expugnandum animæ theſaurum, quanto magis eum novit eſſe pretioſum. Et ideo quia meminit exul cæli quid agatur in cælo, quanta homini trementi ſermones Dei præparetur remuneratio, zeli indicat magnitudo. Prodit gloriam, dum exercet invidiam.

Hom. 6. Sicut in diluvio non ſalvatus eſt, niſi qui inter arcam Noë fuit inventus: ita diverſæ fidei homines extra Eccleſiæ domum non habentes agnum, qui Chriſtus, ſalui eſſe non poſſunt.

Hom. 7. Qui corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis, & ſideribus illaturus, neceſſarium erat ut no-

bis Sacramentum corporis & ſanguinis conſecraret, ut coleretur jugiter per myſterium quod ſemel offerebatur in pretium, ut quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua etiam eſſet redeptionis oblatio, & perennis victima viveret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia, nec unica & perfecta hoſtia, fide æſtimanda, non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori aſpectu. Unde meritò cæleſtis confirmat auctoritas, quia *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quando quidem qui auctor eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbi ſui ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens, *Accipite & edite: Hoc eſt corpus meum*: & ſanctificatione repetita: *Accipite & bibite. Hic eſt ſanguis meus.* Ergo ad

nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum. Pari potentia in ſpiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, & rei ſervit effectus.

Quis panis Angelorum eſt niſi Chriſtus, qui eos cibo ſuæ charitatis & lumine ſuæ claritatis exſatiat?

Euchariſtiæ ſacra perceptio non in quantitate, ſed in virtute conſiſtit. Corpus Sacerdote diſpenſante tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto. Cum Eccleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in univerſis, ita integrum eſſe probatur in ſingulis. Si forte eſum panis eſurientibus apponeremus, non ex toto perveniret ad ſingulos, quia particulatim & minutatim portionem ſuã unuſquiſque præſumeret. De hoc verò pane cum aſſumitur, nihil minus habent ſinguli quàm univerſi Totum unus, totum duo, totum plures ſine diminutione per-

cipiunt : quia benedictio hujus Sacramenti ſcit diſtribui, neſcit diſtributione conſumi.

Nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu potentiæ, præſentia majeſtatis, in Dominici corporis tranſire poſſe naturam, cum ipſum hominem videat artificio cæleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum. Sicut autem quicumque ad fidem veniens ante verba Baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his verò commemoratis mox exuitur omni face peccati : ita quando benedicendæ verbis cæleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam invocatione ſancti nominis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini : poſt verba autem Chriſti corpus & ſanguis Chriſti. Quid autem mirum eſt ſi ea quæ verbo potuit creare, poſſit verbo creata convertere ? Imò jam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe, jam conditum in melius mutare valeat.

Hom. 8. Illo tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus. *1.Cor.3.* *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.

Ille ipſe purgatorius ignis durior erit quàm quicquid poteſt pœnarum in hoc ſæculo aut cogitari aut videri, aut ſentiri.

Hom. 9. Pius & miſericors Dominus multis modis occaſiones vel opportunitates providere dignatur, quibus poſſumus ſine grandi labore ac difficultate peccata noſtra redimere. Nam quos videt pro peccatis ſuis ad jejunandum virtutem non habere, & à carne vel à vino abſtinere non poſſe, vendere etiam ſubſtantiam ſuam & pauperibus erogare, pauperum inopiam providet, & abundantiores fructus tribuit, ut dum ſuperflua pauperibus largiuntur, peccatorum ipſi indulgentiam conſequantur.

Non hoc jubet Deus, ut ea quæ tibi vel tuis neceſſaria ſunt, debeas erogare.

Hoc

Hoc divinæ miſericordiæ artificium eſt, ut dum pauperes patienter egeſtatem tolerant, indulgentiam peccatorum accipiant: ſimiliter & divites dum ſuperflua miſericorditer erogant, & à peccatis ſe redimant, & ad præmia æterna perveniant.

Quicquid amplius, quàm nobis opus eſt, à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus.

Nullus homo in hoc mundo invenitur, qui nunquam ab alijs injuriam patiatur.

Omnibus notum eſt, quia amor amore vincitur. *Hom. 10*

Verè ignorat quantum boni in celebrandis Miſſis agitur, qui de Eccleſia feſtinus egreditur. *Hom. 12*

Quoties evenerit, fratres chariſſimi, ut in quocumque gravi peccato aut etiam crimine aliquis (ut ſe habet humana fragilitas) cadat: nec quia Deus juſtus eſt deſperare: nec quia miſericors eſt, debet nimia ſecuritate confidere: ſed ſic timeat juſtitiam, ut quærat *Hom. 13*

miſericordiam ; ſic de miſericordia confidat, ut tamen juſtitiam contremiſcat. Quia quanto nos Deus diutius expectat, ut corrigamur, tanto graviùs vindicat, ſi de converſione tardius cogitemus.

Optimè malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus opponitur ; & citò vulnus ad ſanitatem reducitur, quod putreſcere diuturna abuſione non ſinitur.

Erubeſcimus modò parvo tempore pœnitentiam agere, & non timemus ſine ullo termino æterna ſupplicia ſuſtinere.

O infelix homo, de ipſo vulnere non erubeſcis, & de ligatura vulneris erubeſcis. Peccatum vulnus eſt, pœnitentia ligatura vulneris eſt.

Numquid tibi hoc fieri vis à ſervo tuo, ut quamdiu fortis ac juvenis fuerit, inimicis tuis ſerviat : & cum ad ſenectam venerit, tunc ad tuum ſervitium redire velit ? Quod ergo non vis pati à ſervo tuo, non eſt juſtum ut facias

Domino tuo.

Percutitur hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei. Nam qui remedium animæ ſuæ, quando potuit, noluit quærere, poſtea etiam ſi velit, dubium eſt utrum mereatur accipere.

Quomodo non deſunt quotidiana peccatorum vulnera, ſic nunquam deſint eleemoſynarum vel orationum remedia.

Etiam in ipſis vulneribus vel fracturis corporum, infirmitates agnoſcere poſſumus & animarum. Si enim pes alicui frangatur, aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum officium revocari. Si verò ſecundo & tertio frequentius in eodem loco membra ipſa frangantur, poteſt intelligere charitas veſtra cum quantis doloribus vulnera ipſa curanda ſunt. Et tamen poſt longas & multas curas ſi vixerit homo, ad priſtinum ſtatum membra ipſa vix valeat revocare. Similis ratio in animarum fractu- *Hom. 14*

ris ſeu vulneribus credenda eſt. Si ſemel aliquis vel ſecundo peccaverit, & ſine aliqua diſſimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora recipiet. Si verò peccata peccatis cæperit addere, & animarum vulnera tegendo vel deffendendo putreſcere, quæ confitendo vel pœnitentiam agendo curare noluit, timendum eſt ne in illo impleatur illud quod Apoſto-
Rom. 2. lus dixit. *An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam cordis tui & cor impœnitens theſauriſas tibi iram in die iræ & retributionis juſti judicij Dei.*

Hom. 15. Non ſemper Medici dulces potiones porrigunt ægrotantibus, ſed frequenter amaras & aſperas. Nonnunquam etiam ferramentis aliqua membra ſecare, & cauterijs exurere ſolent. Et totum illi qui infirmi ſunt, patienter accipiunt, dum poſt brevem tribulationem longam ſanitatem recipere cupiunt.

Illud quale eſt, fratres chariſſimi, quod Medici corporum, quando ad ægrotos venire diſſimulant, cum grandi humilitate rogantur, præmia & munera promittuntur: & tamen dubium eſt utrum aliquid illorum medicamenta proficiant. Nos veró qui de medicamento ſpiritali in nullo penitus deſperamus, & nec terrenum præmium, nec aliqua temporalia lucra requirimus: ideo faſtidiri debemus, quia nos ultro ingerimus, & nihil aliud niſi patientiam & correctionem invenire deſideramus. Carnalis enim Medicus utrum relevare poſſit ægrotum, incertum eſt. Spiritalis vero medicina ſi libenter accipiatur, abſque dubitatione, etiam ſi mortua ſit, anima ſuſcitatur. Quare ergo tam gravi expenſa & cum multis doloribus requiritur ſanitas corporum; & cum ſine ulla expenſa tribuatur, ab aliquibus non libenter accipitur ſanitas animarum? Quare hoc fratres, niſi

quia multi ſunt, qui majorem curam habent in carne, quàm in anima ſua?

Hom. 16 Rogo vos, fratres, quæ juſtitia eſt ut aliquis criminoſus pecuniam ſuam per eleemoſynam Deo offerat, & animam ſuam Diabolo per luxuriam tradat? In pecunia imaginem Imperatoris offert Deo, & in ſeipſo imaginem Dei tradit Diabolo.

Quamlibet largas eleemoſynas aliquis tribuit, ſi capitalia crimina non declinat, timeo valde, timeo ne forte falſa ſecuritate ſe decipiat, & pecuniam perdat, & peccata non redimat. Nemo ergo putet quod quotidiana adulteria eleemoſynæ quotidianæ conſumant.

Quod non vis pati à ſervo tuo, non eſt juſtum ut facias Domino tuo.

Quando pauperibus erogamus pecuniam, Deo offeramus animam noſtram, ubi eſt & cor noſtrum.

Nullus magis illicita vitare debet, quàm qui reſpuit quod licebat.

In populo Chriſtiano, quicquid fœminis non licet, nec viris unquam licuit, aut licebit.

Eleemoſynas dando alienam carnem paſcimus, & crimina committendo noſtram animam jugulamus. *Hom.17*

Sic pro majoribus criminibus eleemoſynas demus, ut nunquam ad ipſa crimina redeamus.

Non ſanitati credendum eſt, non ætati. In remedium ſalutis ſuæ ſemper tardatus eſt, qui vitæ ſuæ incertus eſt.

O! ſi tempus pœnitentiæ diſponeretur, quando eſt in poteſtate poſitum, quomodo deſideraretur amiſſum.

Hîc extinguamus mortem, moriendo peccatis. Hîc vitam, vitæ meritis acquiramus!

Habemus & interiorem hominem, & exteriorem. Habemus carnem & animam: hoc eſt ha- *Hom.19*

bemus dominam & ancillam.

Qui pacem veram deſiderat, primùm cum Deo pacem habere contendat.

Qui cum Deo pacem habere noluerit, in ſeipſo pacem habere non poterit. Sit ergo pacifica cum Deo anima noſtra, ut animæ noſtræ ſit ſubdita caro noſtra.

Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax & juſtitia teneatur. De juſtitia naſcitur pax, de pace gaudium generatur.

*Hom.*20 Quomodo caro noſtra moritur, ſi non capiat cibum: ita & anima noſtra extinguitur, ſi non accipiat Dei verbum.

Animæ noſtræ cura maximè terrenæ culturæ ſimilis eſt. Sicut enim in terra quæ colitur, alia extirpantur, alia radicitus evelluntur, ut quæ bona ſunt ſeminentur: ita etiam animæ noſtræ fieri debet. Eradicentur mala, & bona plantentur. Extirpentur noxia, & utilia inſerantur. Superbia evellatur, & humilitas plantetur. Projiciatur

avaritia, & miſericordia teneatur. Contemnatur luxuria, & caſtitas diligatur. Nam quomodo in terra tua, niſi mala projeceris, bona plantare non poteris: ſic de anima tua, niſi ſpinas & tribulos vitiorum eradicaveris, virtutum germina ſancta plantare non poteris.

Habes tu villam tuam: habet & Deus ſuam. Villa tua, eſt terra tua: villa Dei eſt anima tua. Nunquid juſtum eſt ut villam tuam colas, & villam Dei deſertam dimittas? ſi colis terram tuam, cole & animam tuam.

Non eſt grande quod à nobis requirit Deus, non durum, non aſperum.

Clamat tibi in conſcientia tua æterna juſtitia: Quomodo gubernas agrum tuum, guberna & cor tuum. Quomodo colis villam tuam, cole & animam tuam. Quomodo ſuperfluos palmites tollis de vite tua, ſic malos affectus tolle de anima tuà. Præcidis de vite tua,

quod malum eſt, incide de anima tua quod iniquum eſt. Quomodo in vite tua totos ſuperfluos palmites amputas, & duos aut tres qui ſunt legitimi derelinquis: ſic & in anima tua, omnia deſideria, quæ res alienas malè reſpiciunt & peſſimè concupiſcunt, Spiritus Sancti gladio & Crucis falce debes incidere, & hoc tantùm unde juſtitia vel miſericordia cernitur, reſervare.

Hom.21 Si quis idoneus eſt, ſi aliquos parentes habuerit pauperes, ipſis prius neceſſaria tribuat, & ſic indigentibus extraneis eleemoſynam faciat: quia reliquis pauperibus ſi tu non dederis, dabit alius: parentibus verò tuis pauperibus ſi tu nihil largitus fueris, difficile eſt ut alius largiatur.

Hoc ſolum eſt noſtrum, quod nobis vel noſtris rationabiliter ſufficit. Quicquid ſuperfuerit, Deus noſter pauperibus erogandum tranſmiſit.

Si pauperi porrigis eleemoſy-

nam & in te peccanti non tribuis veniam, nihil tibi prodeſt. Sicut è contrario, ſi peccantibus tibi indulſeris, & eſurientibus quantum vales dare nolueris, una virtus ſine altera tibi prodeſſe non poteſt.

O homo qua fronte vis petere, quod diſſimulas dare? *Hom.22*

Debet in hoc mundo miſericordiam dare, qui illam optat in cælo recipere.

Eſt in Cælo miſericordia, ad quam per terrenas miſericordias pervenitur.

Eſt & terrena & cæleſtis miſericordia, humana ſcilicet & divina. Qualis eſt miſericordia humana? Ipſa utique ut reſpicias miſerias pauperum. Qualis verò eſt miſericordia divina? Illa ſine dubio quæ tibi tribuit indulgentiam peccatorum.

Quicquid miſericordia humana largitur in via, miſericordia divina reddit in patria.

Deus qui de cælo dignatur dare, vult in terra recipere.

Quales ſumus nos, qui quando donat Deus, volumus accipere: quando petit, nolumus dare?

Da mendico quod accipere merearis à Chriſto.

Frange eſurienti panem tuum: Iſaïæ. 58. Non dixit, Da totum, ne forte pauper ſis, & amplius habere non poſſis.

Ideo in hoc mundo Deus pauperes eſſe permiſit, ut omnis homo haberet quomodo peccata ſua redimeret.

Potuit Deus omnes homines divites facere, ſed nobis per pauperum miſericordiam voluit ſubvenire, ut & pauper per patientiam, & dives per eleemoſynam poſſint Dei * gratiam promereri.

* *Al. gloriam.*

Nobis militat inopia pauperum.

Miſeria pauperum medicamentum eſt divitum.

Unuſquiſque ſecundum vires ſtudeat ne ad Eccleſiam vacuus veniat. Debet enim aliquid exhibere, qui optat accipere.

Duo ſunt eleemoſynarum ge-

nera, unum bonum, aliud melius. Unum, ut pauperi buccellam porrigas: alterum, ut peccanti in te fratri citò indulgeas.

Nunquam timebis Dæmonem qui eſt in carne aliena, ſi eum non habueris in anima tua. *Hom. 23*

Multi Dæmonem in corpore alieno formidant, in ſuo corde diſſimulant.

Quot vitia habuerit homo, tot habet Dæmones.

Niſi ex toto corde & affectu pauper ſis, paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria judicanda eſt. *Hom. 27*

Tanto graviora erunt humana delicta, quanto majora ſe oſtenderint divina beneficia.

Nihil habere, interdum res neceſſitatis eſt: nihil autem cupere, virtutis. *Hom. 28*

Felix eſt illa anima, quæ cum bene in congregatione verſatur, multorum gaudium eſt, & plurimi ex ea vel ædificantur, vel illuminantur.

Nunquam tibi deficit, quicquid

alteri de te proficit.

Nunquam lucerna luminis tui damnum ſentit plurimis à ſe accenſis.

Quanta ſint illa quæ à Deo præparata ſunt homini, etiam livor prodit inimici.

Hom. 29 Habet hoc infelix conſuetudo peccandi. ut quanto amplius unuſquiſque peccaverit, tanto minus peccata ipſa intelligat, & tanto eum plus peccare delectet, & veniat illud quod Propheta peccatoribus clamat. *Non eſt Deus in conſpectu ejus, auferuntur judicia tua à facie ejus.* Etenim quando ſubrepit peccandi delectatio, ſtatim futuri judicij diem abſcondit oblivio.

Quis tranſiens ſuper alicujus profundum fluminis per arctiſſimi pontis anguſtias, etiam ſi majorem partem inoffenſo tranſierit pede, jam periculum evaſiſſe ſe credat: cum in ultimo pontis ſpatio ſi paululùm titubaverit, caſum quem in medio

ſpatio vitarat, incurrat? ſic nos etiam ſi magna pars vitæ iſtius videatur fuiſſe tranſacta, non ideo fiduciam præſumamus, cum adhuc periculum pars extrema minetur.

Quis in acie poſitus, ante finem certaminis, aut ante victoriæ ſecuritatem, arma deponat?

Nihil proficit homo relinquendo quod extra ſe habet, qui vitia intra ſe retinet.

Deus ad munera quæ negligenti ac vili animo offeruntur, non reſpicit. *Hom.30*

Uniuſcujuſque vitij malum in ſuum recurrit authorem. *Hom.31*

Si velox fuerit ad cæleſtem Medicum intentio reſurgendi, veſtigium non poterit remanere collapſi: quia ſub manu omnipotentis Medici & citò perit morbus, & velociter ſanatur ægrotus. *Hom.32*

Ille periculoſiùs peccat qui ſe graviter peccare non putat. *Hom. 5*

Qui timet ne orando inquinet veſtimenta ſua, plus timeat ne non orando ſordida remaneat anima ſua.

Vellem ſcire, qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, ſi aliquid ſibi ſatis neceſſarium aut à judice aut ab aliqua potenti perſona expeterent, utrum ſtantes & tecto capite negligenter aut tepidè ſupplicarent. Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope uſque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remiſſionem peccatorum & æternam requiem inquirentes, nec capita noſtra inclinare dignamur. Non ita legimus
Luc. 13. de beato Elia, & Eliſæo, vel cæteris Sanctis, de quibus legitur quod frequenter proſtrati in terram, ad Dominum cum omni contritione oraverint. Et de ipſo Domino noſtro in Evangelio ſcriptum eſt, quod procidens in terram ita oraverit, ut ab eo guttæ ſanguinis ſtillarent. Proſtratus

tus in terra orat medicus, & non inclinatur ægrotus.

Attende pretium tuum reſpice *Hom.39* Dominum tuum. Conſidera quale pretium pro te dedit : ſanguinem ſuum pro te fudit : charum te habuit, quem tam charê redemit.

Dabis impio militi, quod non *Hom.41* vis dare Sacerdoti.

S. ELIGII FLOSCVLI.

AREOLA XVI.

SICVT corpori vulnerato medicamenta, ſic & multo amplius animæ peccatorum vulneribus ſauciatæ medicina neceſſaria ſunt jejunia. *Hom. 3.*

Jejunia ſunt gratiæ Dei primordia, reconciliationis ſacrificia, ſalutis remedia, caſtitatis fundamenta.

Pius & miſericors Dominus ſciens infirmitatem generis humani, ſine qualibuſcumque peccatis præſentem vitam non poſſe tranſigere, talia medicamenta digna- *Hom. 8.*

tus eſt providere, quæ non ſolùm divites, ſed etiam pauperes abſque ulla excuſatione poſſent peccatorum ſuorum adhibere vulneribus. Quæ autem ſunt iſta medicamenta? Illa utique duo de quibus Deus dixit: *Date, & dabitur*
Luc. 6. *vobis: dimittite, & dimittetur*
Marc. 11 *vobis.*

Satis delicatè nobiſcum agitur, quando in poteſtate noſtra datur qualiter judicemur in die judicij.

Quamlibet largas eleemoſynas aliquis tribuat, ſi capitalia crimina non declinat, timeo ne falſa temeritate deceptus & pecuniam perdat, & peccatum non redimat.

Magiſter Gentium jubet ut ex-
Coloſſ. 3. hibeamus *corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Hoſtia quippe occiditur, ut offeratur. Sed hoſtia vivens eſt corpus pro Domino afflictum, quod vivens dicitur quia vivit in virtutibus, & eſt occiſum à vitijs. Hoſtia

verò, quia jam huic mundo eſt à pravis actibus mortuum; vivens quoque dicitur, quia cuncta, quæ prævalet, bona operatur.

Sicut verè carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo qui ex Maria Virgine natus eſt, Jeſus Dei filius eſt, non quemadmodum alij homines per gratiam, ſed natura filius ex ſubſtantia patris: ita vera eſt caro & verus eſt ſanguis ejus quem ad manducandum & potandum in myſterio ſumimus, ſicut ipſe teſtatur. Et nos qui verè ſub myſterio carnem & ſanguinem corporis ejus ſumimus, per ea naturaliter unum cum illo efficimur, in quibus manet poſt conſecrationem ſimilitudo panis & vini, ne ſit quidam horror cruoris, ſed manet in eis gratia redemptionis.

Liquido apparet quando primò acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non accepiſſe jejunos: nunquid tamen proptetea calumniandum eſt Eccleſiæ

univerſæ inſtitutum quod à jejunis ſemper accipitur. Hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani corpus dominicum intraret prius quam cæteri cibi: atque ideo per univerſum orbem morem hunc eſſe ſervatum.

In pœnitentia majorem in ſe quiſque ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus non judicetur à Domino.

Hom. 9. Animarum vulnera tanto ſublimiora ſunt & immedicabilia; quanto natura animæ ſubtilior eſt corpore.

Arbores ſumus, fratres, in agro dominico conſtitutæ: Deus autem eſt noſter agricola. Si ergo videat nos non ferre fructum boni operis, excindet nos ab hac vita per mortem, & in ignem projiciet infernalem.

Hom. 11 Fides eſt juſtitiæ fundamentum, quam nulla opera bona præcedunt, & ex qua omnia bona procedunt.

Bonum eſt homini ſemper ante

oculos propria adhibere delicta.

Dominus paratus eſt ſemper recipere peccatores, ad pœnitentiam converti volentes. *Hom.13*

Majora crimina admittentibus, majora ſunt adhibenda remedia. *Hom.15.*

Quia Chriſtiani dicimur, Chriſti opera facere debemus.

Nec noſtrorum vulnerum multitudo nos in deſperationem deprimat, quia major eſt potentia Medici, quàm magnitudo languoris noſtri. *Hom.16*

Utiliores ſunt preces lacrymarum, quàm imploratio ſermonum, quia ſermo in precando falli poteſt. Sermó enim interdum non totum hominis profert negotium: lacrymæ totum ſemper loquentis produnt affectum. Et ideo Petrus in pœnitentia ſua jam non utitur ſermone quo Chriſtum negaverat, ne illi ſermoni non crederetur ad confitendum, quo uſus fuerat ad negandum.

In omni culpa prius flendum, & ſic deinde precandum.

S. GREGORII MAGNI FLOSCVLI.

AREOLA XVII.

OMnipotens Deus & hoc remunerat quod ſine reproborum profectu, reprobis impenditur.

Quiſquis divinæ contemplationis arte ſuſtollitur in illa cuncta illuminante luces reſpicit & quod ſe mirabiliter terreat, & quod ineffabiliter delectet. *In 1. Reg. expoſitionis l. 1.*

Ordinatus contemplantis aſcenſus eſt, ſi à timore incipiat.

Et Petrus & Jacobus & Joannes priùs transformati Domini gloriam viderunt, deinde incuſſo

eis timore cecidere, ne elati perderent, quod humiliter aſſumpti videre meruiſſent.

Pia mens, quò ſublimis tollitur in divina contemplatione, eo devotiùs ſe extendit in ſancta operatione.

Bene petentibus in contemplationis deſiderio carnales præpoſiti obſiſtere vehementer ſolent : eo quippe ineptiùs agere ſecretiorem vitam appetentes cogitant, quò ipſi vim internæ dulcedinis ignorant.

Totum ſeſe quis exhibere cælitem terrena obliviſcendo non poterit, niſi magnis accenſus fletibus in mortuæ jam mundo mentis ſolatio, delectationis intimæ recipere ſuavitatem novit.

Non poteſt experiri quæ ſit interna lætitia, niſi qui perfectè contemnere exteriorem curat.

Electa anima de ærumna vitæ præſentis dolere non poterit, ſi ſeſe ad illa, quæ in cæleſtibus perdidit, non extendit.

Dum in ſuperna per amorem ferimur, quæ in imo ſunt, non nobis præbent blandimenta gaudij, ſed aſperitatem afflictionis.

Profectus noſtros precum multiplicatio ſequitur: quia eo jam libentius, ſæpius, & inſtantuis ſæterna orando quærimus, quo in ſolo futurorum bonorum ſolatio reſpiramus.

Gaudium perfectæ devotionis contemplatio ad conditoris pulcritudinem ſemel elevata non ſuſcipit.

Debilis eſt omnis virtus hominis ſine auxilio conditoris.

Bonum prædicationis tunc bene impletur, cum prædicator, qui ſublimis eſt verbo, humilis eſſe ſatagit miniſterio. *Lib. 2.*

Salutis fructum non percipiunt, in comeſtione ſalutaris hoſtiæ, qui ea quibus ſe repleverant, flagitia portant in mente.

A vitijs perfectè jejunantes, divina ſacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.

Sine peccato electi etiam viri eſſe non poſſunt.

Quo ſtudioſius mundamur lamento pœnitentiæ, eo uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in ſpiritali refectione.

Niſi ſæculum amare deſiſtimus, Deo per amorem vivere non valemus.

Sæculi divites idcirco de larga facultate gloriantur, quia alto & incomprehenſibili judicio Dei cæleſtia eis bona abſcondita ſunt.

Dum ab omnipotenti Deo bonorum cæleſtium cognitionem percipimus, ab ipſo etiam virtutem conſequimur, ut digno pro eis labore certemus.

Miſericors & juſtus Deus noſter:
Pſ. 114. Per miſericordiam converſionem peccatorum expectat, per juſtitiam non converſos damnat. Per miſericordiam converti vult peccatores, & vivere, ſed per juſtitiam, eos qui converti noluerunt, vult punire: miſericorditer non ſalvat niſi volens: per juſtitiam nolens damnat.

Prius collata Heli dona numerantur, ut dum tam benignus dator omnipotens Deus oſtenditur, contemptorem ſuum quàm juſtè feriat, cognoſcatur. *1. Reg. cap. 2. v. 28.*

Sæpe inter magna opera corruunt, qui per minora vincere hoſtem poſſunt.

Heli filiorum culpa damnatur, cujus peccata propria nulla referuntur. Nam bonis ſubditis bene vivere ad ſalutem ſufficit: prælatis vero propria vita non ſufficit.

Altiora peccatorum vulnera difficilius curantur.

Placere tam Deo, quàm hominibus magnæ virtutis eſt: quia plerumque de bono opere noſtro proximos noſtros offendimus, ſi eadem opera bona non cum magna cautela faciamus.

Ex ſe, & non ex electione ſummæ ordinationis regnant, qui ad gloriam eccleſiaſtici culminis non vocantur divinitus, ſed per cupiditatem perducuntur.

Qui in natura ſua unum & ſim-

plex bonum ineffabiliter exiſtit, tot bona eſt bonis omnibus, quot ipſi omnes de contemplatione gloriæ adimplentur gaudijs.

Aliquando à paſtoribus reprobis electi per doctrinam filij naſcuntur.

Qui indignum Deo ſe fecit, dignum interceſſorem exigit, ut alienis precibus expietur, qui proprijs mundari non poſſe cognoſcitur.

Pro eo oratio valet, qui dum ſe à peccati immunditia cohibet, ad Dei ſe ſimilitudinem redigit, qua ſe peccando ſpoliavit

In vitæ exitu hi ſolummodo ſalubriter reſipiſcunt, qui & per internam viſitationem perfectè bona diligunt, & mala oderunt quæ amaverant.

Converſio peccatoris non eſt in humilitate confeſſionis, ſed in renovatione interioris hominis, cum peccatori jam divina inſpiratione correcto, & malum diſplicet quod amavit, & bonum placet quod odit.

Primus humani generis parens à paradiſi gaudijs nec furto, nec rapina, nec adulterio, nec homicidio, ſed pomi vetiti inobedientia corruit.

Majoris eſt meriti charitatis injuncta refectio, jejunio propria deliberatione ſuſcepto. Qui enim juſſus carnem reficit, invitus jejunij præmium devotione promeruit, & ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquiſivit.

Majorum imperia tunc etiam veneranda ſunt, cum ipſi laudabilem non habent vitam.

Vera obedientia nec præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit.

Neſcit judicare quiſquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat, ſi præceptis obediat.

Si bona promiſſa revocat omnipotens Deus, quia ij, quibus promiſerat, male permutantur: quanto magis minarum effectus retrahit, cum bene converſos eos aſpi-

cit, quibus pro admiſſis iniquitatibus pœnam animaverſionis intimavit?

Lib. 3. Templum Dei eſt locus ubi habitat Deus. Templum Dei uniuſcujuſque eſt anima electi.

Prophetæ officium eſt & futura prædicare, & occulta revelare.

Dum Iſraëlis prælia per litteram referuntur, interna & ſpiritalia deſignantur.

Nemo pugnat cum eo, qui ſibi ſubjicitur.

Perfectè convertitur, qui cum ſemel, quod prauè egerat, plangit, quod rurſum plangat, ultra non repetit.

Sic *peccatores converti* de Dei miſericordia præſumant, ut tamen id quod ſe nequiter egiſſe recolunt, per pœnitentiam delere non negligant.

Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demum idonea eſt, cum ſacerdotis fuerit judicio imperata.

Bona deſideria nobis per divi-

nam gratiam miniſtrantur; ſed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrij ad virtutum victorias promovemus.

Dei debet eſſe docibilis, qui ſuſcepto prædicationis officio docere homines cupit.

Altare Domini cor juſti.

Magna vindicta eſt, quando reproba mens ſic projicitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. *Lib. 4.*

Deus etiam tunc magnæ miſericordiæ bona tribuit, cum vindictam irrogat, quia dum reprobos punit, ſanctos erudit; ut unde illi deficiunt, iſti in ſuis profectibus adjuventur. Diſtricto ſiquidem judicio permittit mala fieri, ſed miſericorditer providet de his malis, quæ per judicium irrogat, quæ bona facere diſponat. Quæ major culpa, quàm illa qua omnes morimur? Quæ major bonitas, quàm illa, per quam à morte liberamur?

Magna ſunt mala, quæ per primæ culpæ meritum patimur; ſed

quis electus nollet pejora perpeti, quàm tantum Redemptorem non habére ?

Cum à carnalibus ſubjectio quæritur, profecto quicquid præcipitur eis, grave eſt, etſi non ſit difficile ; quia cum ex ſuperbiæ tumore habeant, ut propriæ voluntatis arbitrium ſequantur, quicquid eorum deliberationi obviat, graviſſimum penſant.

Divino judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare cum poſſent, non poſſint vitare cum volunt ; & qui ſponte incurrunt mala præcognita, fugere non poſſint experta.

Pervenire ad Deum oratione nequaquam poteſt, quæ ex intentione promitur, ut ab hominibus agnoſcatur.

Mala, quæ pro peccatis noſtris ſæpe patimur, quia per divinam juſtitiam nobis irrogantur, bona ſunt.

Bonum profecto eſt, quicquid eſt juſtum.

Multi eorum amorem ſæculi ſequuntur, quorum virtute depelli gaudia mundi ab aliorum cordibus debuerant.

Pauci ſunt, qui in prædicationis culmine perfectè noverint mundum contemnere, & ſummis deſiderijs inhærere.

Qui laborare pro cæleſtibus negligunt, neceſſe eſt ut in appetitu terrenorum arctius inſerantur.

Quod ad ſanctorum gloriam profecit, malignis ſpiritibus proficet in damnationis augmentum.

Celeritas converſionis plerumque oritur ex incremento devotionis.

Qui in regularis vitæ forti propoſito alijs præſunt, tanto diſcretius debent ad eandem vitam converſos recipere, quanto & utilius prænoſcendum eſt accedentium petitio ex virtute animi ſit, an ex præcipitatione voluntatis.

Sancti viri nihil agunt inconſulti.

Habent proprium mentes, hu-

milium, ut ſpiritualia dona habeant; ſed in ijs, quæ habent, ſe non attendunt. Quia enim à Spiritu Sancto virtutum dona percipiunt, ideo Sanctus Spiritus, qui dona tribuit, ea eis ab æſtimatione tollit, ut in virtute converſationis hæc habeant, in tumorem elationis non habeant.

Divina eloquia etiam reprobi eloquuntur, ſentire autem niſi electi non poſſunt.

Cibus animæ eſt ſermo Dei.

Tunc fructuoſa eſt bona cogitatio, quando in operatione perficitur.

Plerumque fit, ut vita atque doctrina prælati in ſubditorum converſatione requiratur.

Perfectio ſanctorum virorum cum in ſubditis quæritur, non imperfecta membra, ſed electa atque perfecta requirenda ſunt.

Statuendæ ſunt nobis horæ miniſterij, ut breviter perſiſtamus in opere, feſtinanter redire valeamus ad contemplationis arcem.

Cum in ſancta Eccleſia Paſtor eligitur, aliquando ordinatur pro ſe & populo: aliquando nec pro populo nec pro ſe: aliquando pro ſe, non pro populo: aliquando verò pro populo, non pro ſe. Pro ſe & populo, quando electus prædicator electis ſubditis datur. Nec pro ſe nec pro populo Paſtor datur, quando reproba plebs reprobum Paſtorem habere permittitur. Pro ſe, non pro populo Paſtor datur, quando bonus malis præponitur. Pro ſe quidem, non pro populo tunc Paſtor datur, quando etſi auditores ſuos electus prædicator convertere ad Deum non poterit, ipſe tamen laboris ſui æterna lucra non perdit.

Peccando inimicitias creatoris incurrimus.

Qui te ad hoc poſitum noſti, ut peccati inimicitias debeas ſolvere, quod in alijs deſtruis, in te non debes retinere.

Quicquid in hoc ſæculo altum cernitur, non eſt vera altitu-

do, ſed fovea, quæ omnes, quos in ſua ambitione recipit, ad inferna deponit.

Redemptor noſter ſic vult nos quærere ſalutem alienam, ut non negligamus noſtram.

Signum ſuæ unctionis cognoſcere electi poſſunt: quia nimirum tunc à Deo ad ſanctæ Eccleſiæ culmen perducuntur, cum per verba & exempla idonei ſunt ad ſalutem alienam, & per quietem ſtudioſi ad ſuam; & cum peccatores ad cælum quærunt, ſemetipſos ad ſæculum non relinquunt.

Quicquid de omnipotente Deo humana mens poteſt cogitare Deus non eſt.

Qui honorem prælationis & dignitatem ambiant, innumeri ſunt; qui verò laborem miniſterij & afflictionem carnis de eadem prælatione appetant, pauci.

Cæteris quidem virtutibus Dæmones impugnamus, per obediendiam vincimus.

Ipſa bona noſtra & ignorare ſapienter, & ſcire aliquando utiliter debemus.

Ipſa cognitio peccati eſt præparatio divini muneris : quia ſæpe cum nos divino munere indignos credimus, id per humilitatem promeremur.

Habet ſpiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis ; habet & interioris magnitudinem oneris.

Ipſe honor dignitatis per ſeipſum magnum fit onus mentis : quia contemni debet, & placet.

Culpa quæ feriri digna ſecuritate non poteſt , diſſimulanda , non exponenda eſt.

Motus illicitus carni, quamdiu ipſa caro eſt, tolli non poteſt, violentia movendi tolli poteſt. Non quidem tolli poteſt carni, quod lex carnis membra non moveat : ſed tamen tolli poteſt carni violentia motionis, ut relinquatur ei motus, ſed eidem motui omnis delectationis obſcænitas aufe- *Pſal. 5.*

ratur; & ſimplex motus ille ſit, in quo reliqua libidinis turpitudo non ſit.

Perfecti viri hoc ipſum, quod ſimplices motus carnis contra voluntatem ſuſtinent, vehementer dolent.

Quod extingui peccatum non poteſt, effugari poteſt.

Refecta caro & impinguata, ad lapſum linguæ, oculorum, auditus, olfactus, & tactus facilis eſt.

Ordo ſummæ rationis eſt, ut qui bona agere non curat, mala in alijs nequaquam reprehendat.

Ille ſolus timor probabilis eſt, qui dum mentem concutit, ad boni operis ſtudium trahit.

Quibus ſemper dura & aſpera videntur, quæ à Domino præcipiuntur, paulatim decidunt, & deficiunt.

Qui ſummi Spiritus adventum ſuſcipit, & mala deſerit, & bona apprehendit, & ſic Deo ſubditur, ut pro Deo etiam hominibus ſubſternatur.

Cum

Cum Spiritus vitæ ſe menti infundit, protinus eam ad mortis pavorem erigit; quia magiſterium ejuſdem Spiritus eſt, ut timendo mens agat, ne quod timet inveniat.

In comparatione æternorum bonorum vana ſunt omnia, etiam bona temporalia.

Quicquid in hoc ſæculo lætum, delectabile, ſublime, aut proſperum cernitur, vanum profecto eſt, quia difficile habetur, & cito amittitur.

Vana ſunt gaudia ſæculi, quæ quaſi manentia blandiuntur; ſed amatores ſuos, cito tranſeundo, decipiunt.

Multum quidem ſæculi bona durant, ſi cum amatore uſque ad extremum vitæ perveniunt. Poſt ſæculum non proſunt, quæ finem vitæ tranſire non poſſunt. In hac quidem vita ſuos amatores peccatis obligant; ſed tunc non eruent, ubi quidem per meritum ſunt, ſed per auxilium non ſunt.

Omnipotens Deus, quia electos ſuos copioſius remunerat, eos ſemper vult in pugna conſiſtere, ut ipſi ſemper poſſint ſibi æterni muneris bona præparare.

Permittit quidem Deus electos ſuos magnis tentationibus impeti, ut magnificentiſſimè in cæleſti regno debeant coronari: ſed magna prælia permittit, quæ vincant; levia excitat, in quibus cadant: ut victoria fortium magna ſit, caſus innoxius; ut cadentes ſe facile erigant, & eos fortia, in quibus victores ſteterant, non extollant.

In momento tranſit carnis delectatio.

Brevis quidem eſt hora tranſgreſſionis, non tamen brevis pœna flagitij.

Dum ad momentum in nobis regnum peccati erigimus, regna perdimus omnium ſæculorum.

Tunc ſolùm bene agere magna nitimur, cum ea, quæ agimus, pandere ad oſtenſionem vitamus.

Male mederi concupiſcentiæ morbo ſatagit, qui ad hoc explere concupiſcentias peccando cogitat, ut quieſcat. Tanto quidem erit poſt peccatum concupiſcentia major, quanto ipſa ſibi eſſe incipit peccati delectatio gratior.

Multa prædicatorum compaſſione indiget converſio peccatorum.

Præclara victoria non eſt fugientes inſequi, ſed reſiſtentes effugare.

Omnino aliud eſt laudis præconia moribus adæquare contendere; aliud laudes appetere.

Laudes ſuas exæquare conantur, qui ipſas laudes deſpiciunt, qui laudari ab hominibus nunquam volunt. Quantum certè in eis eſt, laudari vehementer refugiunt; ſed quia non poſſunt omnino effugere ne laudentur, conantur eſſe quod audiunt.

Latentia vitia, niſi expoſita, non curantur.

Prima electorum compunctio

ex timore naſcitur.

Leves pulveris maculæ melius excutiendo, quàm lavando, aut ignem apponendo terguntur.

Vulnera corporum pro ipſorum corporum natura & robore vigorem exigunt medicinæ.

Negligenter præeminet, qui commiſſorum ſibi fidelium neſcit & fortitudinem & infirmitatem.

Electi viri, quando ſe de minimis accuſant, ea utique non quaſi parva, ſed quaſi magna pronunciant.

Priora opera promerentur, ut poſteriorum gravitas levigetur.

Qui jurare cavet, perjurare omnino non poteſt.

Cum male juratur, juſtius juſjurandum dimittitur, quàm compleantur crimina, quæ jurantur.

Sit unuſquiſque cautus, antequam juret, ut aut ne omnino juret, aut facturum ſe mala non juret.

Ad extinguendum fornicationis ſpiritum virtus una non ſufficit.

Vitare turpes cogitationes non

prævalet, qui honeſtas in ſe non habet.

Quia ſemper cogitamus, exquirenda ſunt nobis bona, ne mala cogitemus.

Debent quidem conjuges debitum ſibi invicem reddere, ſed turpiter conuenire non debent. *Lib. 6.*

Nil facilius quàm libido, vincitur, ſi omnis immunda cogitatio devitetur. Tanto facilius diſperdi poteſt, quanto unuſquiſque cogitare alia, quàm carnis oblectamenta poteſt. Quia enim duas ſimul res imaginari non poſſumus, dum, quicquid eſt, aliud cogitamus, cogitare immunda non poſſumus. Celer ergo & facilis victoria libidinis eſt circumſpectio cogitationis: ſi quoties carnalia obviant, ad aliquid omnium recurramus, quod libidinis non ſit blandimentum. Hoc quidem ſtantibus, non lapſis facile dixerim, quia qui perpetratione peccati immundi ſpiritus ſervus efficitur, nec carnis cogitationes libere poteſt

vitare, nec ad alias cito recurrere.

De juſtorum caſu ſcriptum eſt: *ſepties in die cadit juſtus, & reſurgit.* Eorum certè caſus quodammodo ſtatus eorum eſt: quia aliquando permittuntur cadere, ut ſemper valeant fortius ſtare.

Prov. 24.

Quando reprobi arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquando in alios transferunt. Tegunt quidem negando, cum latere poſſunt: ſed dum quaſi in aperto deprehenſi tenentur, quod negare nequeunt, alij aſcribunt.

Peccata ſubditorum in prælatorum comparatione deſpicienda ſunt.

Occiduntur peccata, quæ dimittuntur. Viva quidem peccata ſunt, quæ aut in mente adhuc per concupiſcentiam regnant, aut quæ per converſionem contempta, ſed per pœnitentiam adhuc non ſunt deleta. Illa quidem adhuc vivunt ad voluptatem, iſta vivunt ad pœnam: quia etſi jam peccare deſe-

ruimus, niſi commiſſa plangamus, commiſſorum obligatione retinemur.

Superbi cum apertam culpam celare non poſſunt, permutare aut minuere conantur.

Omnia bona opera poſtponenda ſunt his bonis quæ jubentur.

Longè altioris meriti eſt propriam voluntatem alienæ ſemper voluntati ſubjicere, quàm magnis jejunijs corpus atterere, aut per compunctionem ſe in ſecretiori ſacrificio mactare.

Quid prodeſt confiteri flagitia, ſi confeſſionis vocem non ſequitur afflictio pœnitentiæ?

Tria in uno quoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente, videlicet converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati: Nam qui corde non convertitur, quid prodeſt, ſi peccata confiteatur?

Peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur.

Tunc bene converſum pecca-

torem cernimus, cum digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur.

Idcirco omnis confeſſio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur.

Mala certè potentum ſæculi magna eis mala ſunt: ſed bona, quæ proferunt, ad exemplum fidelium magis, quàm bona aliorum proſunt.

More timoratorum divitum omnipotens Deus facit: quia ne virtutum theſauros perdat, hos & in electis mentibus collocat, & ipſas mentes per ſecretum celat.

Nullus debet ſubire culmen regiminis, qui robur non habet magni operis, ſcilicet contemplationis ſcientiam, & fervorem charitatis.

Ipſa auctoritas ſanctæ Eccleſiæ cum ſine miſericordia eſt, nulla eſt: quia tunc ſpiritualis eſt rigor diſciplinæ, cum à linimento non vacat miſericordiæ.

Magnum

Magnum eſt onus Ordinis, magna fragilitas carnis.

Sciri non poteſt, an quis in gratia, quam recipit, perſeverare in perpetuum debeat.

Plerumque navem incautè religatam etiam de ſinu tutiſſimi littoris unda excutit, cum tempeſtas excreſcit. *Ep. fratri ſuo Leandro Coepiſcopo. c.1.*

Divinus ſermo ſicut myſterijs prudentes exercet, ſic plerumque ſuperficie ſimplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat, ſervat in ſecreto unde menſes ſublimiunt in admiratione ſuſpendat. *Cap. 4.*

Quoties in folijs male lætæ ſegetis culmi proficiunt, minori plenitudine ſpicarum grana turgeſcunt. *cap. 5.*

Ex actione ſæcularium confunditur actio religioſorum: dum illi etiam promittendo non ſervant, quæ in præceptis audiunt, & iſti vivendo ea cuſtodiunt, in quibus nequaquam mandatis legalibus aſtringuntur. *Præfat. in Iob. cap. 2.*

Sicut unguenta niſi commota redolere latius neſciunt, & ſicut aromata fragrantiam ſuam, non niſi cum incenduntur expandunt; ita ſancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innoteſcunt.

cap. 3. Pœna interrogat, ſi quietus veraciter quis amat.

cap. 4. Ex bellis exterioribus diſcimus, quid de interioribus ſentiamus.

cap. 5. Percuſſionum diverſa ſunt genera: Alia namque eſt percuſſio qua peccator percutitur, ut ſine retractatione puniatur: alia, qua peccator percutitur, ut corrigatur: alia, qua nonnumquam quiſque percutitur, non ut præterita corrigat, ſed ne ventura committat: alia, qua plerumque percutitur, per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, ſed ut dum inopinata ſalus percuſſionem ſequitur, ſalvantis virtus cognita ardentius ametur; cumque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum ſumma cumuletur.

Neque valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis. *Moral. expoſit in B. Iob. l. 1. c. 1.*

Deum timere, eſt nulla, quæ facienda ſunt, bona præterire. *cap. 3.*

Neque bona Deo accepta ſunt, quæ ante ejus oculos malorum admixtione maculantur.

Sæpe ad avaritiam cor parentis illicit fœcunditas prolis. *cap. 4.*

Ut beati Iob quàm ſancta mens fuerit oſtendatur, & juſtus dicitur, & multæ prolis pater fuiſſe perhibetur.

Solet inter fratres major ſubſtantia diſcordiæ fieri gravioris cauſa.

Nonnulla ſunt vitia, quæ à convivijs aut ſeparari vix poſſunt, aut certè nequaquam poſſunt. Pene enim ſemper epulas comitatur voluptas, pene ſemper epulas loquacitas ſequitur.

Incarnatus Dominus in ſemetipſo omne, quod nobis imperavit, oſtendit, ut quod præcepto diceret, exemplo ſuaderet. *cap. 5.*

cap. 10. Qui ſcit jam ſumma quæ adhuc non habet, magis de infimis, in quibus retinetur, dolet.

cap. 11. Cum adhuc quis timore bona agit, á malo penitus non receſſit, quia eo ipſo peccat, quo peccare vellet, ſi inultè potuiſſet.

cap. 15. Valde ſingula virtus quælibet deſtituitur, ſi non una alij virtus virtuti ſuffragetur.

cap. 16. Nonnunquam virtutes aliquantula elatione nos polluunt.

cap. 17. Ea quæ perſcrutari in nobis metipſis plenius nitimur, ſæpe verius orando quàm inveſtigando penetramus.

cap. 19. Sæpe bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat: quæ quamvis quæſita non fuerit, tamen oblata delectat.

Curandum ne bona noſtra pauca ſint: curandum ne indiſcuſſa: ne aut pauca agentes inveniamur ſteriles; aut indiſcuſſa relinquentes, vecordes.

Neque unaquæque verè virtus eſt, ſi mixta alijs virtutibus non eſt.

Incaſſum bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur: quia & fruſtra velociter currit, qui prius, quàm ad metas veniat, deficit.

Hoc magnopere petimus, ut qui ad ſpiritalem intelligentiam mentem ſublevat, à veneratione hiſtoriæ non recedat.

Scriptura ſacra mentis oculis quaſi quoddam ſpeculum opponitur, ut interna noſtra facies in ipſa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus. Ibi ſentimus quantùm proficimus, ibi à profectu quàm longe diſtamus. *l.2. c.1.*

Iob deſcribitur tentatione auctus, ſed David tentatione proſtratus, ut & majorum virtus ſpem noſtram foveat, & majorum caſus ad cautelam nos humilitatis accingat.

Et ipſa quæ Deum fugiunt, latere non poſſunt. *cap. 2.*

Animarum verba, ipſa ſunt deſideria. *cap. 4.*

Satanæ voluntas ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas injuſta: *cap. 6.*

quia à ſemetipſo voluntatem habet, ſed à Domino poteſtatem. Quod enim ipſe facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non niſi juſtè fieri permittit.

Formidari non debet, qui nihil niſi permiſſus valet.

cap. 8. Pia mens cum ſe adverſa ab hominibus perpeti conſpicit, in divinæ gratiæ conſolatione requieſcit: cumque tentationum procellas increſcere extrinſecus videt, ſeceſſum ſpei dominicæ appetens intra conſcientiæ portum fugit.

cap. 9. Convivia peragi ſine culpa vix poſſunt.

cap. 10. Solent nonnulli in proſperis Deum diligere, in adverſis autem poſiti flagellantem minus amare.

cap. 11. Magna conſolatio eſt in rerum amiſſione, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuiſſe.

cap. 12. Magna eſt conſolatio, quod diſplicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non niſi juſtum placet.

Occulta juſtitiæ licentia malignis ſpiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo ſtrangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. cap. 15.

Redemptor noſter, per hoc quod Deus eſt, cum patre dat omnia, per hoc verò quod homo eſt, à patre accipit omnia. cap. 23.

Nequaquam nos in tentatione deſerit, qui creavit.

Antiquus hoſtis eo contra bonos gravius ſævit, quo vallari eos divinæ protectionis munere conſpicit.

Fit mira diſpenſatione pietatis, ut unde malignus hoſtis cor tentat, ut interimat, inde miſericors conditor hoc erudiat ut vivat. cap. 24.

Tunc verè ad intelligendum ſapimus, cum cunctis, quæ conditor dicit, credulitatis noſtræ fidem præbemus.

Tunc verè cognoſcimus bona noſtra unde ſint, quando hæc quaſi amittendo, ſentimus quia à nobis ſervari non poſſunt. cap. 26.

Tentatus non ſolum vires à quo accipiat, diſcit; ſed quanta eas vigilantia ſervet, intelligit.

Sæpe quem tentationis certamen ſuperare non valuit, ſua deterius ſecuritas ſtravit.

Ille veram Deo orationem exhibet, qui ſemetipſum, quia pulvis ſit, humiliter videt: qui ſibi nihil virtutis tribuit: qui bona quæ agit, eſſe de miſericordia conditoris agnoſcit.

l. 3. c. 3. Duobus ſemper modis flagella penſanda ſunt, ut ſcilicet perpendantur aut qualia ſint, aut quanta. Nam ſæpe multa ex qualitate, ſæpe gravia ex quantitate levigantur, ſi videlicet cum multa ſint, non ſint gravia; cùm veró gravia, non ſint multa.

cap. 6. Antiquus hoſtis humanum genus duobus modis tentare conſuevit, ut videlicet corda ſtantium aut tribulationibus frangat, aut perſuaſionibus molliat.

Antiquus adverſarius non ſolum per ſemetipſum, ſed per eos

etiam, qui nobis adhærent, ſtatum ſatagit noſtræ mentis inclinare.

Callidus adverſarius cum à bonorum cordibus repelli ſe conſpicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirit, & per verba eorum blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur: ut dum vis amoris cor perforat, facile perſuaſionis ejus gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat.

Antiquus hoſtis antiquæ artis inſidias repetit, & quia ſcit quomodo Adam decipi ſoleat, ad Evam recurrit.

Neque mala, quæ nulla ſua natura ſubſiſtant, à Domino creantur, ſed creare ſe mala Dominus indicat, cum res bene conditas, nobis male agentibus, in flagellum format: ut ea ipſa & per dolorem, quo feriant, delinquentibus mala ſint, & per naturam, qua exiſtunt, bona. *cap. 7.* *Iſay. 45*

Magna conſolatio tribulationis eſt, ſi cum adverſa patimur,

auctoris noſtri ad memoriam dona revocemus.

Quiſquis dona percipit, ſed donorum tempore nequaquam etiam flagella pertimeſcit, in elationem per lætitiam corruit. Quiſquis autem flagellis atteritur, ſed flagellorum tempore, nequaquam ſe ex donis, quæ eum contigit accepiſſe, conſolatur, à ſtatu mentis omni modo deſperatione deſtruitur. Sic ergo utraque jungenda ſunt, ut unum ſemper ex altero fulciatur, quatenus & flagelli, pœnam memoria temperet doni, & doni lætitiam mordeat ſuſpicio ac formido flagelli.

cap 9. Antiquus hoſtis, quo valentius vincitur, eo adhuc ad inſidias ardentius inſtigatur.

cap. 9. Ordo conſolationis eſt, ut cum volumus afflictum quempiam à mœrore ſuſpendere, ſtudeamus prius mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem namque non poteſt conſolari, qui non concordat

dolori : quia eo ipſo quo à mœrentis afflictione diſcrepat, minus ab illo recipitur, à quo mentis qualitate ſeparatur. Sed inter hæc ſciendum eſt quia is, qui afflictum conſolari deſiderat, menſuram neceſſe eſt dolori quem ſuſcipit ponat; ne non ſolum dolentem non mulceat, ſed intemperatè dolens afflicti animum ad pondus deſperationis premat. Sic enim dolor noſter mœrentium dolori jungendus eſt, ut per temperamentum ſublevet, non autem per augmentum gravet.

Neceſſe eſt ut non ſolum intueamur quod agimus, ſed etiam cum quanta diſcretione per agamus. Primum quidem ne mala quoquo modo, poſtmodum vero ne bona incautè faciamus.

Ante terribilis judicis ſubtile atque incomprehenſibile examen non ſolum mala quæ commiſimus, ſed ipſa etiam, ſi qua in nobis ſunt, bene geſta timeamus; quia ſæpe in juſto judicio culpa eſſe

deprehenditur, quod virtus ante judicium putatur.

cap. 12. Habent hoc juſti proprium, ut in dolore poſiti tribulationis ſuæ, curam non deſerant utilitatis alienæ.

cap. 16. Sæpe antiquus hoſtis poſtquam menti noſtræ tentationum certamen inflixerit, ab ipſo ſuo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, ſed ut corda, quæ per quietem ſecura reddiderit, repente rediens facilius inopinatus irrumpat.

cap. 17. Dum quiſquis conſiderat, quàm citius caro ad pulverem redeat, feſtinè ſuperat hoc, quod ſe de carne intus turpiter impugnat.

Sæpe de ipſa victoria bellum oritur, ut cum immunda cogitatio vincitur, victoris animus elatione pulſetur.

cap. 18. Plerumque contingit ut is quem ſuperbia deprimit, alium reſpiciat qualiter ira ſuccendat: & quia ſe non citius ira inſtigat, meliorem

ſe iracundo jam reputat, atque apud ſemetipſum quaſi de juſtitia extollitur, quia penſare vitium negligit, quo gravius tenetur.

Plerumque contingit ut is quem avaritia ſauciat, alium in luxuriæ voragine merſum cernat: & quia ſe à pollutione carnali alienum reſpicit, quibus ipſe ſordibus ſpiritalis vitij intrinſecus polluitur, non attendit: dumque in alio penſat malum, quod ipſe non habet, in ſe negligit conſiderare quod habet.

Qui ad alta virtutum ſurgere veraciter appetunt, cum alienas culpas audiunt, mox cor ad proprias reducunt, & tanto rectius illas dijudicant, quanto verius iſtas deplorant.

Si cor veraciter dolet, linguam contra nos vitia non habent. *cap. 19.*

Sicut ignotorum hominum facies cernimus, & corda neſcimus; *l. 4. c. 1.* ſed ſi familiari eis locutione conjungimur, uſu colloquij eorum etiam cogitationes indagamus;

ita cum in ſacro eloquio ſola hiſtoria aſpicitur, nihil aliud quam facies videtur; ſed ſi huic aſſiduo uſu conjungimur, ejus nimirum mentem quaſi ex collocutionis familiaritate penetramus. Dum enim alia ex alijs colligimus, facile in verbis agnoſcimus aliud eſſe quod intimant, aliud quod ſonant.

cap. 3. Quiſquis regenerationis unda non ſolvitur, reatus primi vinculis ligatus tenetur.

Quod apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierant, myſterium Circumciſionis.

Quem ſalutis unda non diluit, originalis culpæ ſupplicia non amittit.

cap. 6. Sciendum eſt quod Scriptura ſacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat.

Aliter enim maledictum profertur judicio juſtitiæ, aliter livore vindictæ. Deus maledicere dicitur, * & tamen maledicere homo prohibetur, * quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit niſi examine & virtute juſtitiæ. *Geneſ. 3. & 12. * Rom. 12.

Humana anima ita immortalis eſt, ut mori poſſit: ita mortalis, ut mori non poſſit. Nam beatè vivere ſive per vitium, ſive per ſupplicium perdit. Eſſentialiter autem vivere neque per vitium neque per ſupplicium amittit. *cap. 7.*

Idcirco Redemptor noſter non Angelus, ſed homo factus eſt, quia hoc procul dubio fieri debuit, quod redemit. *cap. 12.*

Scriptura ſacra tribus modis hominem appellat, aliquando per naturam, aliquando per culpam, aliquando per infirmitatem.

Solerter vigilandum eſt, ut cum blandiri culpa inchoat, ad quantum interitum mens trahatur, agnoſcat. *cap. 15.*

Quia ubique eſt *Deus*, locus *cap. 16.*

quo fugiatur non eſt. Sed quia correctionis noſtræ fletibus placatur, ſolus ab illo locum fugæ invenit, qui poſt perpetratam culpam nunc ſe in pœnitentia abſcondit.

cap. 17. Sicut vera mors eſt, qua anima ſeparatur à Deo: ita umbra mortis eſt, qua caro ſeparatur ab anima.

Nullum peccatum Dominus inultum relaxat: aut enim nos hoc flendo inſequimur, aut ipſe judicando reſervat.

Quod flendo inſequimur, nequaquam nobis à venturo judice, hoc objici certè ſperamus.

cap. 19. Ille culpam ſuam veraciter inſequitur, qui jam ad amorem præſentis ſæculi nullo appetitu proſperitatis inſtigatur, qui hujus mundi blandimenta quàm ſint fraudulenta conſiderat, favoreſque ejus quaſi quaſdam perſecutiones penſat.

cap. 21. Sæpe mens quæ adverſa multa & fortia ſuperat, unum in ſe & fortaſſe minimum, quamvis magna

na intentione vigilet, non expugnat. Quod divina nimirum diſpenſatione agitur, ne ex omni parte virtutibus ſplendens, in elationem ſublevetur, ut dum in ſe parvum quid reprehenſibile videt, & tamen hoc ſubigere non valet, nequaquam ſibi, ſed auctori victoriam tribuat in his quæ ſubigere fortiter valet.

Mens proficiens ad virtutem juſtitiæ, ſua melius infirmitate roboratur; & inde melius in bonis lucet, unde eam etiam nolentem parva reprehenſibilia humiliter obſcurant. *cap. 22.*

Sæpe magnis virtutibus terram Promiſſionis ingredimur, quia ſpe intima de æternitate roboramur. Sed dum inter acta ſublimia, vitia quædam parva retinemus, quaſi Chananæum vivere in terra noſtra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipſum vitium, quod ſubigere non poſſumus, ad uſum noſtræ utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de ſe *Habitavit Chananaus in medio Ephraim tributarius. Ioſue.16*

mens & in ſummis vilia ſentiat, quo ſuis viribus etiam parva, quæ appetit, non expugnat.

Ad hoc quædam minima vitia noſtra retinentur, ut ſeſe noſtra intentio ſollicitam in certamine ſemper exerceat, & eo de victoria non ſuperbiat, quo vivere in ſe hoſtes conſpicit, à quibus adhuc vinci formidat.

In quibuſdam minimis vitijs elatio virtutis noſtræ comprimitur, & in parvis ſibi reſiſtentibus diſcit, quod ex ſe majora non ſubigit.

cap. 25. Prius latens culpa agitur, poſtmodum verò etiam ante oculos hominum ſine confuſione reatus aperitur: dehinc & in conſuetudinem ducitur: ad extremum verò vel falſæ ſpei ſeductionibus, vel obſtinatione miſeræ deſperationis enutritur.

Cum ex peccato præſens pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non amatur, timor ex tumore eſt, non ex humilitate.

Cum culpa in uſum venerit, ei jam animus, etiam ſi appetat, debilius reſiſtit.

Inceſſanter *creſcit* culpa favoribus nutrita.

Curari vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis judicatur.

Sic eſt *homo* immortalis conditus, ut tamen ſi peccaret, & mori *cap. 26.* poſſet : & ſic mortalis eſt conditus, ut ſi non peccaret, etiam non mori poſſet, atque ex merito liberi arbitrij beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare vel mori non poſſet.

Cunctorum conditor omnia per ſemetipſum tenet, & tamen ad *cap. 27.* diſtinguendum pulchræ univerſitatis ordinem alia alijs diſpenſantibus regit.

Prius quàm Redemptor noſter morte ſua humani generis pœnam ſolveret, eos etiam, qui cæleſtis patriæ vias ſectati ſunt, poſt egreſſum carnis, inferni clauſtra tenuerunt : non ut pœna quaſi peccatores plecteret, ſed ut eos in locis re-

motioribus quieſcentes, quia nec dum interceſſio mediatoris advenerat, ab ingreſſu regni reatus primæ culpæ prohiberet.

cap. 30. Juſtos, quamvis nullus deſideriorum carnalium tumultus poſſideat, duris tamen vinculis eos in hac vita poſitos ſuæ moleſtia corruptionis ligat. Aliud de mente, aliud de corpore tolerant; & contra ſemetipſos quotidie interno certamine deſudant.

Dum rerum finis attenditur, omne, quod præterit, quaſi jam fuiſſe penſatur.

cap. 13. Quod valde mens amat, etiam in ſermone ſæpius replicat.

Quia in hac vita nobis eſt diſcretio operum, erit in illa procul dubio diſcretio dignitatum: ut quo hîc alius alium merito ſuperat, illic alius alium retributione tranſcendat. Unde in Evangelio veritas dicit: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Sed in eiſdem multis manſionibus erit aliquo modo ipſa retributionum diverſitas con-

Joan. 14

cors, quia tanta vis amoris in illa pace nos ſociat; ut quod in ſe quiſque non acceperit, hoc ſe accepiſſe in alio exultet.

Sæpe triſtium læti reminiſcimur.

Plerumque incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos ſine dolore reducimus: & quo ægros nos recolimus, eo nos incolumes plus amamus.

Erit & in beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, ſed quæ nos arctius lætitiæ aſtringat: ut dum doloris ſui animus ſine dolore reminiſcitur, & debitorem ſe medico verius intelligat, & eo magis acceptam ſalutem diligat, quo moleſtiæ meminit, quom evaſit.

In amaritudine animæ ſunt omnes electi, qui vel punire flendo non deſinunt, quæ deliquerunt: vel gravi ſe mœrore afficiunt, quia longè huc à facie conditoris projecti adhuc in æternæ patriæ gaudijs non ſunt. *l.5.c.3.*

Mare viva corpora in ſemet-

ipſo retinet: mortua extra ſe protinus expellit.

cap. 4. Mira divinitatis pietate agitur, cum is qui perfecto corde ad contemplationem tendit, humanis miniſterijs occupatur: ut & multis infirmioribus ejus mens perfecta proficiat, & quo ſemetipſum imperfectum reſpicit, inde ad humilitatis culmen perfectior aſſurgat. Nonnunquam etenim viri ſancti, unde deſideriorum ſuorum detrimenta tolerant, inde majora lucra converſis alijs reportant: quia dum eis vacare, ut appetunt, non licet, rapere ſecum alios, quibus admiſcentur, libet.

Abſcondit ſe ſponſus, cum quæritur, ut non inventus ardentius quæratur: & differtur quærens ſponſa ne inveniat; ut tarditate ſua capacior reddita, multiplicius quãdoque inveniat, quod quærebat.

cap. 7. Poteſtas divinæ iræ noſtra non poteſt mente comprehendi.

cap. 8. Solus in illicitis non cadit, qui ſe aliquando & à licitis cautè reſtringit.

Poteſtas cum habetur, & cogitanda eſt ad utilitatem, & diſſimulanda propter tumorem: quatenus is, qui ea utitur, & ut prodeſſe debeat, poſſe ſe ſciat; & ut extolli non debeat, poſſe ſe neſciat.

Pravæ mentes temporalium rerum tumultus intra ſemetipſas verſare non ceſſant, etiam dum vacant. In cogitatitione enim ſervant depicta quæ amant; & quamvis nihil exterius faciant, apud ſemetipſas tamen ſub pondere inquietæ mentis laborant.

Habent hoc Hæretici proprium, *cap. 14.* ut malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſui audientis illudant. Si enim ſemper prava dicerent, citiùs in ſua pravitate cogniti, quod vellent, minimè perſuaderent.

Hæretici permiſcent recta perverſis, ut oſtendendo bona auditores ad ſe trahant; & exhibendo mala, latenti eos peſte corrumpant. Et ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, ut recipian-

tur, abſcondunt.

cap. 12. Nunquam eſt tam robuſtum vitæ teſtimonium, quam, cum ille laudanda loquitur, qui ingerere crimen laudatur.

Perverſi quilibet, cum bona juſtorum referunt, hæc in argumentum criminis inflectunt.

Perverſi duobus modis bonorum vitam impetunt: quia aut prava eos dicere aſſerunt, aut recta non ſervare, quæ dicunt.

cap. 13. Mens noſtra tanto valentius terrores rerum temporalium deſpicit, quanto ſe auctori earumdem veraciùs per formidinem ſubdit.

Ille verè perfectus eſt, qui erga imperfectionem proximi impatiens non eſt.

Inde contra adverſa omnia fortis efficitur *homo*, vnde ſibi, & ſeipſum vincendo, dominatur. Cum in ſuis ſe voluptatibus ſuperat, ſeſe ad contraria invictum parat.

cap. 15. Aliquando omnipotens Deus diu prævalere iniquos patitur, ut juſtorum

juſtorum mundius vita purgatur. Aliquando verò injuſtos celeriter trucidat, eorumque interitu innocentium corda confirmat. Si nunc omnes male agentes percuteret, extremum judicium quibus exhiberet? Si autem nullum omnino percuteret, quis Deum res humanas curare crederet? Nonnunquam ergò iniquos ferit, ut oſtendat, quia inulta mala non deſerit. Nonnunquam verò iniquos diu tolerat, ut conſiderantibus inſinuet, ad quod eós judicium reſervet.

Nonnunquam hæretici vera quædam & ſublimia loquuntur, non quod hæc divinitus ipſi percipiant, ſed quod ex ſanctæ Eccleſiæ contentione didicerunt: neque hæc ad profectum conſcientiæ, ſed ad ſcientiæ oſtentationem trahunt. Unde fit plerumque, ut alta ſciendo dicant, ſed vivendo, quæ dicunt, neſciant. *cap. 18.*

Communem hæretici ſcientiam habere refugiunt, ne cæteris æqua-

les æſtimentur : occulta vel nova ſemper exquirunt, quæ dum alij neſciunt, apud imperitorum mentes ipſi de ſcientiæ ſingularitate glorianturr.

cap. 22. Mens noſtra nullo modo ad vim internæ contemplationis rapitur, niſi ſtudioſe prius à terrenorũ deſideriorum tumultu ſopiatur.

cap. 27. Lucerna in tenebris fulgere cernitur, quæ in ſolis radio poſita tenebratur.

Puriorem ſe vir factore ſuo exiſtimat, ſi contra flagellum querelam parat, eumque ſibi procul dubio poſtponit, cujus judicium de ſua afflictione redarguit.

In conſideratione divinæ magnitudinis diſcitur, quàm humiliter in ſua animadverſione timeatur.

cap. 30. Omnipotens Deus ſæpe ejus precem in perturbatione deſerit, qui præcepta illius in tranquillitate contemnit.

Conſiderata infirmitas propria mala nobis excuſat aliena.

Nunquam commotioni con-

templatio jungitur.

Qui improvidus ab adverſitate deprehenditur, quaſi ab hoſte dormiens invenitur, eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat.

Alia eſt ira, quam impatientia excitat; alia quam zelus juſtitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute ſurgeret, divinæ animadverſionis impetum Phinees non placaſſet. Hanc iram, quia Heli non habuit, motum contra ſe implacabiliter ſupernæ ultionis excitavit.

Qui livoris peſte plene carere deſiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non anguſtat, quæ & omnibus una eſt, & ſingulis tota: quæ tanto largior eſſe oſtenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur.

Non omnino deſpicitur, quod ex melioris comparatione reprobatur. *l.6.c.1.*

cap. 4. Quaſi per amœna prata in carcerem pervenit, qui per præſentis vitæ proſpera ad interitum tendit.

cap. 6. Per occulta merita mentium aperta prodeunt flagella pœnarum.

cap. 7. Mira ſunt omnia, quæ mirari negligimus. Si mortuus homo ſuſcitetur, in admirationem omnes exiliunt: & quotidie homo qui non erat, naſcitur, & nemo miratur: cum procul dubio omnibus conſtet, quia plus ſit creari, quod non erat, quàm reparari quod erat. Quia arida Aaron virga floruit, cuncti mirati ſunt; & quotidie ex arente terra arbor producitur, virtuſque pulveris in lignum vertitur, & nemo miratur. Quia quinque panibus quinque millia hominum ſaturati ſunt; quotidie ſparſa grana ſeminum, plenitudine multiplicantur ſpicarum, & nemo miratur. Aquam ſemel in vinum permutatam videntes cuncti mirati ſunt: quotidie humor terræ in radicem vitis attractus, per botrum

in vinum vertitur, & nemo miratur.

Mira, quæ ex fide credenda ſunt, perſcrutanda per rationem non ſunt. *cap. 8.*

Omne quod eſt, aut eſt & non vivit: aut eſt & vivit, ſed nequaquam ſentit: aut eſt & vivit & ſentit, ſed non intelligit nec diſcernit: aut eſt, vivit, & ſentit, & intelligit & diſcernit.

Sancti Spiritus gratia cum ſibi divites ſubjicit, pauperes non repellit: cum fortes humiliat, venire ad ſe debiles non recuſat: cum nobiles colligit, ſimul & ignobiles apprehendit: cum ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit.

Juſtus & miſericors *Dominus* mortalium acta diſponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus, atque ea, quæ permittit, ſic tolerat, ut hæc in conſilij ſui uſum vertat. Unde miro modo fit, ut & quod ſine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non *cap. 12.*

ſit: quia dum in bonum uſum mala facta vertuntur, ejus conſilio militant etiam quæ ejus conſilio repugnant.

cap. 13. Duobus modis ad culpam unuſquiſque pertrahitur: aut enim delectatione perducitur, aut terrore ſuperatur.

cap. 14. Corda noſtra maleſana ſunt, cum nullo Dei amore ſauciantur, cum peregrinationis ſuæ ærumnam non ſentiunt, cum erga infirmitatem proximi nec quamlibet minimo affectu langueſcunt.

Sæpe lingua à bono opere, dum *cap. 15.* vituperat, revocat.

Quia à blandiente modo hoſte *cap. 16.* non vinceris, hunc ſævientem poſtmodum non timebis.

Cum bene vivitur, valde cavendum eſt, ne mens deſpectis cæteris, de gloria ſingularitatis elevetur.

Pax noſtra ex deſiderio conditoris inchoatur, ex manifeſta autem viſione perficitur. Plena quippe tunc erit, cum mens noſtra nec

ignorantia cæcatur, nec carnis ſuæ impugnatione concutitur.

Nulla eſt caſtitas carnis, quam non commendat ſuavitas mentis.

Ille uberes fructus prædicationis colligit, qui ſemina bonæ operationis præmittit.

Nequaquam perfectus prædicator eſt, qui vel propter contemplationis ſtudium operanda negligit: vel propter operationis inſtantiam contemplanda poſtponit. cap. 17.

Sæpe & anchora cordis eſt pondus timoris.

Neceſſe eſt, ut quiſquis ad contemplationis ſtudia properat, ſemetipſum prius ſubtiliter interroget, quantum amat. Machina quippe mentis eſt vis amoris, quæ hanc dum à mundo extrahit, in alta ſuſtollit.

Poſt Liæ amplexus ad Rachelem Iacob pervenit: quia perfectus quiſque ante activæ vitæ ad fœcunditatem jungitur, & poſt contemplativæ ad requiem copulatur. cap. 18.

Magna ſunt activæ vitæ merita, ſed contemplativæ potiora.

Activæ vitæ opera cum corpore tranſeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convaleſcunt.

Quantalibet doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia eſt, velle docere meliorem.

Ille laudabiliter ſpicula emittit, qui prius hoſtem quem feriat, conſpicit.

Medicamina vires perdunt, cum ſanis membris apponuntur.

l.7. c.6. Quos ad fortia trahere nitimur, eorum neceſſe eſt ut infirma toleremus: quia nec jacentem erigit, niſi qui ſtatus ſui rectitudinem per compaſſionem flectit.

Cum alienæ infirmitati compatimur, valentius à noſtra roboramur.

cap.7. Plerumque ad nos verba Dei non ſunt dictorum ſonitus, ſed effectus operationum. In eo enim nobis loquitur, quod erga nos tacitus operatur.

Alia juſtorum, alia eſt fortitudo reproborum. Juſtorum fortitudo, eſt carnem vincere, proprijs voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, hujus mundi aſpera pro æternis præmijs amare, proſperitatis blandimenta contemnere, adverſitatis metum in corde ſuperare. Reproborum verò fortitudo eſt tranſitoria ſine ceſſatione diligere, contra flagella conditoris inſenſibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec adverſitate quieſcere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non ſolum verbis ac moribus, ſed etiam gladijs impugnare, in ſemetipſis ſpem ponere, iniquitatem quotidie, ſine ullo deſiderij defectu perpetrare. cap. 8.

An non reprobi fortes ſunt, qui ad præſentis vitæ concupiſcentiam tot laboribus currunt, periculis ſe audenter objiciunt, pro lucris contumelias ferunt; ab appetitus ſui

libidine nulla victi contrarietate reſiliunt, percuſſionibus dureſcunt, & mala mundi tolerant pro mundo, ejuſque, ut ita dixerim, gaudia quærentes perdunt, nec tamen hæc perdendo fatigantur.

Ebrius quod patitur neſcit.

cap. 10. Per amorem Dei amor proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur.

Divina dilectio per timorem naſcitur, ſed in affectum creſcendo permutatur.

Cum quis poſitus in proſperitate diligitur, incertum valde eſt utrum proſperitas, an perſona diligatur.

Amiſſio felicitatis interrogat vim dilectionis.

Nec proſperitas amicum judicat, nec adverſitas inimicum celat.

Omnis aſcenſus in labore eſt; deſcenſus in voluptate.

Sine mora proruit, qui magnis conatibus ad ſumma pervenit.

Longo ſtudio ſeges ſeritur, ſole atque imbre diutino nutritur, ſed tamen una & ſubita ſcintilla conſumitur.

Pauliſper ædificia ad alta proficiunt, ſed repentinis caſibus terram petunt.

Robuſta arbor in aëra per tarda incrementa ſe erigit; ſed quicquid diu ad alta protulit, ſemel, & ſimul cadit.

Hypocriſis cunctis intuentibus imaginem de ſe ſanctitatis inſinuat, ſed tenere vitam ſanctitatis ignorat. *cap.* 12.

Sæpe nonnulli contra quædam ſe vitia vehementer accingunt, ſed quædam ſubigere negligunt; cumque ſe contra iſta non erigunt, & illa contra ſe reparant, quæ ſubigerunt.

Sæpe edendi delectatio ſervit gulæ, & ſervire ſe ſimulat indigentiæ naturæ.

Culpa per rationis imaginem inchoans uſque ad irrationabilem effectum trahit.

cap. 13. Melius à pravorum imitatione compeſcimur, ſi eorum damna ex fide penſamus.

cap. 14. Debemus quidem & temporaliter his, quibus vicinius jungimur, plus cæteris prodeſſe; quia & flamma admotis rebus incendium porrigit, ſed hoc ipſum prius, ubi naſcitur, incendit.

Sancti viri, quia brevitatem vitæ indeſinenter aſpiciunt, quaſi quotidie morientes vivunt.

Sunt nonnulli, qui timere Deum neſciunt, niſi cum vel in ſe experta, vel in alijs cognita adverſitate terrentur.

Sancti viri nec ex elatione ſunt liberi, nec ex timore ſubmiſſi: ſed cum rectitudo eos ad libertatem vocis erigit, conſideratio infirmitatis propriæ in humilitate cuſtodit. Culpas delinquentium etſi ex alto increpantes feriunt, ſemetipſos tamen apud ſe ſubtiliùs judicantes quaſi in abjectis ponunt: & quo prava in alijs inſequuntur, eo ad reprimendos ſe atrociores

redeunt, rurſuſque quo ſibimet meliora agentibus nequaquam parcunt, eo vigilantius aliena reprehendunt.

Duo ſunt genera locutionum importuna valde & noxia generi humano. Unum quod curat etiam perverſa laudare: Aliud quod ſtudet ſemper etiam recta corripere. *cap. 17.*

Quibuſdam ruinæ ſuæ gradibus deſidioſa mens in foveæ lapſus impellitur.

Dum otioſa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus.

Otioſum verbum eſt quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret.

Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis. *Pſ. 140.* *Pſ.* 140. Oſtium aperitur & clauditur. Qui ergo ori ſuo nequaquam poni obſtaculum ſed oſtium petijt, aperte docuit quod & per diſciplinam retineri lingua debeat, & ex neceſſitate laxari: quatenus os diſcretum & congruo tempore vox

aperiat, & rurſum congruo taciturnitas claudat.

l.8.c.1. Ab amore recedere charitás etiam læſa neſcit.

cap.2. Neque hæretici inquiſitionibus veritatem conantur aſſequi, ſed victores videri.

Solent hæretici alia opertè dicere, alia occultè ſentire.

Si camporum ſentes arator vomeris ſciſſione non eruit, terra accepta ſemina in ſegetes non producit.

Cum putredinem medicus vulneris apertione non ejicit, nequaquam in loco putredinis ſana caro coaleſcit.

cap.3. Ipſa hominis vita tentatio eſt, cui ex ſemetipſa naſcitur, unde perimatur. Quæ etſi ſemper ex virtute ſuccidit, quod ex infirmitate generat, ſemper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute ſuccidat.

Quæ volens fecit peccator, horum invitus meminit *pœnitens*, & pœnam ſuſtinet, quod voluptatem putavit.

Unuſquiſque dum quotidie ad vitæ terminum per temporum augmentum tendit, augendo vitam, vivere deſinit. Dies expectantur ut veniant. Sed cum ad augmentum vitæ veniunt, jam ab augmento vitæ ſubſtrahuntur: quia & itinerantis greſſus dum in anteriora proficit, quod reſtat iter decreſcit.

Mercenarius in alienis laboribus exudat, ſed tamen ſibi præmium proprium præparat.

Mercenarius ſollicitè curat inſpicere, ne unquam dies vacuus labatur ab opere: & expectatus finis temporis ne inanis veniat ad remunerationem. In laboris namque ſtudio conſpicit, quid percipere in tempore remunerationis poſſit.

Cum opus creſcit, præmij fiducia proficit.

Electus quiſque tanto fidentius ſpe tendit ad præmium, quanto nunc robuſtius perdurat ad laboris incrementum.

cap. 5. Quod valde eſſe importabile ex dolore oſtenditur, conſideratione provida ex remuneratione levigatur.

In hac vita quædam laborioſa ſunt, quædam vacua, quædam verò vacua ſimul & laborioſa. Amore Conditoris præſentis vitæ tribulationibus exerceri, laborioſum quidem eſt, ſed vacuum non eſt: amore ſæculi voluptatibus ſolvi, vacuum quidem eſt, ſed non laborioſum. Amore vero ejuſdem ſæculi adverſa aliqua pati, & vacuum ſimul eſt, & laborioſum.

Quo unicuique plus dulce fit, quod de æternis deſiderat, eò magis ei grave oſtenditur, quod pro præſentium amore tolerat.

cap. 8. Ordo judicij exigit, ut quod examinare nitimur, tranſcendamus.

Solet mœſtum animum ſpes vel falſa fovere.

cap. 11. Qui mala quidem, quæ perpetravit, inſinuat; ſed flere, quæ inſinuaverit, recuſat, quaſi ſubducta veſte vulnus detegit, ſed torpenti

mente

mente medicamentum vulneri non apponit.

Sæpe & reprobi peccata confitentur, ſed deflere contemnunt.

Aliquando ſomnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando illuſione: aliquando cogitatione ſimul & illuſione: aliquando revelatione: aliquando cogitatione ſimul & revelatione generantur. Sed cum ſomnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto & ex quo impulſu veniant facilius non elucet. cap. 13.

Hoſtis inſidians quo *Sanctos* vigilantes minime ſuperat, eo dormientes gravius impugnat. Quem tamen hæc maligne agere ſuperna diſpenſatio permittit, ne in electorum cordibus ipſe ſaltem à paſſionis præmio ſomnus vacet.

Ipſa carnis infirmitas tranſcendentem ſe animum retrahit, atque ad cogitanda ima ac neceſſaria ſuſpirantem reducit. cap. 18.

Remotis febribus, ceſſantibuſ- cap. 20.

que doloribus ipſa noſtra ſalus ægritudo eſt, cui curandi neceſſitas nunquam deeſt.

Quot ſolatia ad vivendi uſum quærimus, quaſi tot noſtræ ægritudini medicamentis obviamus: ſed ipſum quoque medicamen in vulnus vertitur, quia exquiſito remedio paulo diutius inhærentes, ex eo gravius deficimus, quod proinde ad refectionem paramus.

cap. 21. Quantalibet juſtitia polleant, nequaquam ſibi ad innocentiam vel electi ſufficiunt, ſi in judicio diſtrictè requirantur.

cap. 23. Sæpe hæretici eoſdem nobiſcum Patres, quos veneramur, laudant; ſed intellectu depravato ipſis nos eorum laudibus impugnant.

cap. 24. In laude hypocrita poſitus, ne hunc quiſquam corripere audeat, aſperitate ſua protinus vitam corripientis ſecat. *Sanctus* namque eſſe non appetit, ſed vocari. Deprehenſum ſe in pravitate iraſcitur, loqui ſibi redarguentem pro-

hibet. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus æſtimari, & paratior eſt mori, quàm corripi. Redargutione deterior redditur.

Hypocritarum opera, quia nequaquam ſunt in occulto radicata, ſæpe ante deficiunt, quàm præſens vita finiatur.

Nemo valet mobilia diligere, & ipſe immobilis ſtare.

Ad ſupernum deſiderium inflammare auditores ſuos nequeunt verba, quæ frigido ore proferuntur. Neque enim res, quæ in ſeipſa non arſerit, aliud incendit. *cap. 26.*

Sæpe per ſanctitatis imaginem locum regiminis indignus aſſequitur, quem niſi aliquid in ſe virtutis oſtenderet, nullo percipere labore mereretur.

Cum internus judex ſecreta cordis examinat, teſtes vitæ exterius non quærit.

Mens hypocritæ nihil aliud in omne quod agit, niſi opinionis ſuæ gloriam cogitat, nec curat quo poſt per meritum ducitur, ſed *cap. 27.*

quid interim dicatur.

cap. 29. Qui mundum deſerunt, ad exteriora officia provehi non debent, niſi per humilitatem diutius in ejuſdem mundi contemptu ſolidentur.

Citius bona depereunt, quæ hominibus ante tempus innoteſcunt.

Arbuſta plantata, priuſquam fixa radice coaleſcant, ſi manus concutiens tangit, arefacit At ſi in altum radix figitur, & terræ humoribus conſperſa ſolidatur, hæc & manus impellit, ſed non lædit: hæc & ventorum flatus inflectendo concutiunt, ſed non evertunt.

Quid in rebus excreſcentibus pariete ſurgente robuſtius? Qui tamen ſi dum conſtruitur impellatur, ſtatim ſine labore deſtruitur: ſi autem per ſpatium temporis ab humore ſuo exſiccari permittitur, ſæpe & arietum ictibus minime quaſſatur.

Sæpe novæ converſationis primordia adhuc ex carnali vita ſunt admixta.

Tunc ſolum innoxie hominibus laudabile opus oſtenditur, cum per deſpectum mentis veraciter laus impenſa calcatur. *cap. 30.*

Valde perfectorum eſt ſic oſtenſo opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude privata neſciant exultatione gaudere.

Hoc uniuſcujuſque proprium eſſe ſolet, ut qualis ipſe fuerit, tales ſibi conjungi & alios velit.

Juſti hîc ſe conſtruere negligunt, ubi peregrinos ſe & hoſpites noverunt. Quia enim in proprijs gaudere deſiderant, eſſe in alieno felices recuſant. *cap. 31.*

Pro utilitate hominis vocem in ſe humanæ paſſionis conditor hominum ſumit Deus. *l. 9. c. 6.*

Sæpe mens dum de virtutis ſuæ ſecuritate reſoluitur, inſidiante adverſario, inopinatæ culpæ telo perforatur. *cap 7.*

Omnes ſancti, qui iræ Dei obviant, ab ipſo accipiunt, ut contra impetum percuſſionis ejus opponantur: atque, ut ita dixerim, cum *cap. 9.*

ipſo ſe erigunt contra ipſum, eoſque divina vis ſibi opponit ſecum: quia in eo quod adverſum ſævientis iram foris obtinent, intus eos gratia iraſcentis fovet, & famulantes interiùs levat, quos quaſi adverſantes exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium quam aſpirat, & velut nolenti opponitur, quod ab ipſo, ut fiat, imperatur.

Iræ Dei & reſiſti valet, quando ipſe, qui iraſcitur, opitulatur: & reſiſti omnino non valet, quando ſe & ad ulciſcendum excitat, & ipſe precem, quæ ei funditur, non aſpirat.

Conditoris auribus maximè illa oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur.

cap. 11. Omnis humana juſtitia injuſtitia eſſe convincitur, ſi diſtrictè judicetur.

cap. 13. Plerumque ſi ſcimus bona quæ agimus, ad elationem ducimur: ſi neſcimus, minime ſervamus.

Sæpe dum noſmetipſos plus juſto diſcutimus, de ipſo diſcretionis ſtudio indiſcretius erramus, & mentis noſtræ acies, quo plus cernere nititur, obſcuratur.

Qui importunè ſolis radios aſpicit, tenebreſcit.

Aquila alto valde volatu ſuſpenditur, & annisu præpete ad æthera libratur; ſed per appetitum ventris terras expetit, ſeſeque à ſublimibus repente deorſum fundit. *cap. 16.*

Si placere Deo veraciter cupimus, poſtquam perverſa ſubigimus, ipſa in nobis etiam bene geſta timeamus. *cap. 17.*

Duo ſunt quæ in bonis operibus neceſſe eſt ut ſtudiosè formidentur, deſidia videlicet & fraus. Deſidia per torporem naſcitur, fraus per privatam dilectionem. Illam minor Dei amor exaggerat, hanc autem malè mentem poſſidens proprius amor creat.

Sancti viri ita incerti ſunt, ut confidant: atque ita confidunt, *cap. 18.*

ut tamen ex ſecuritate non torpeant.

cap. 22. Tunc ſolum Deo vera obſequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus, cum nos ad bona opera affectus non metus dirigit, cum malum noſtræ menti jam non placet, etiam ſi liceat.

Qui à perverſitatis opere ex timore reſtringitur, perverſa libenter ageret, ſi liceret.

cap. 23. Sunt nonnulli qui apertis vocibus culpas fatentur; ſed tamen in confeſſione gemere neſciunt, & lugenda gaudentes dicunt.

cap. 24. Ex pœna pœnitentiæ, quam ſibi mens irrogat, aliquatenus ſecuritatem percipit, atque ad interrogationem ſuperni judicis fidentior exurgit.

Duobus modis in hac vita hominem Deus judicat: quia aut per mala præſentia irrogare jam tormenta ſequentia incipit, aut tormenta ſequentia flagellis præſentibus extinguit.

Solos pœna à ſupplicio liberat, quos immutat. Nam quos præſentia mala non corrigunt, ad ſequentia perducunt.

Sæpe mens juſti, ut magis ſecura ſit, altius trepidat.

Nequaquam *Deus* ad perdendum percutit, quem in actionis innocentia feriendo cuſtodit.

Angelorum ſpiritus idcirco irremiſſibiliter peccaverunt, quia tanto robuſtius ſtare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo vero idcirco poſt culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo ſemetipſo minor eſſet, accepit. *cap. 28.*

Lutum fit, cum ſe aqua terræ conſpergit.

Ad obtinenda Dominus juſtitiæ bona non adjuvat, ſi prius miſericorditer anteactas nequitias non relaxat. *cap. 29*

Idcirco nonnunquam impulſu illicitæ cogitationis affligimur, quia in quibuſdam terrenæ converſationis actibus quamvis li-

citis libenter occupamur.

Sacerdos legis membra hoſtiæ per fruſta conciſa, caput atque ea, quæ erga jecur ſunt, jubetur ignibus ſuccendere; pedes vero atque inteſtina hoſtiæ prius aqua diluere.

Nos ipſos ſacrificium Deo offerimus, cum vitam noſtram cultui divino dedicamus.

cap. 32. Sæpe ita mens in culpæ recordatione concutitur, ut ad perpetrationem illius longe gravius quàm prius, quando capta fuerat, urgeatur.

cap. 35. Cum bona in alijs cernimus, valde neceſſe eſt ut & exultationem noſtræ formidini, & formidinem noſtræ exultationi miſceamus: quatenus & de alienis profectibus charitas gaudeat, & de ſuis infirmitatibus conſcientia conſtricta contremiſcat.

cap. 36. Cum culpa animum tentat, neceſſe eſt ut brevitatem ſuæ delectationis aſpiciat, ne ad vivacem mortem iniquitas rapiat.

cap. 37. Sicut moderata afflictio lacry-

mas exprimit, ita immoderata ſubducit.

Plerumque vitam noſtram ipſi reprehendimus; ſed tamen libenter agimus hoc, quod in nobis recte reprobamus.

Niſi à reatu culpæ, quo nos ligavimus, miſericorditer dimittamur, perfecte flere non poſſumus hoc, quod in nobis ipſis contra noſmetipſos dolemus.

Sicut in domo patris manſiones multæ ſunt pro diverſitate virtutis, ſic damnatos diverſo ſupplicio gehennæ ignibus ſubjicit diſparitas criminis. *cap. 39.*

Mos eſſe procacium ſolet, ut recte dictis ſemper è diverſo reſpondeant, ne ſi ad prolata conſentiant, inferiores eſſe videantur. *l.10.c.2.*

Virtus veræ ſcientiæ perditur, quæ ſub diſcretionis cuſtodiam non profertur.

Studioſa ſollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur. *cap. 4.*

Per hoc quod culpæ pondus *cap. 5.*

agnoſcitur, afflictionis pœna levigatur.

Apud miſericordem judicem nequaquam ſine venia culpa relinquitur, cum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur.

Sæpe magnis hoc doctoribus mirandiſque contigit, ut quo alta charitate fervent, eo modum correptionis exaggerent, & lingua aliquid, quod non debet, dicat, quia mentem dilectio quantum debet inflammat.

Cito culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ ſtudio perpetratur.

cap. 6. Jam de ſe conditor, per quod ametur, oſtendit; ſed viſionis ſuæ ſpeciem amantibus ſubſtrahit.

cap. 8. Occulta fieri diſpenſatione permittitur, ut cum mens jam ſurgere ad rectitudinem cæperit, pravitatis ſuæ reliquijs impugnetur: quatenus hæc ipſa impugnatio aut reſiſtentem exerceat, aut delectationibus ſeductam frangat.

Sæpe in elationem cor attolli-

tur, cum lætis ſucceſſibus in virtute roboretur: ſed dum lætentes motus audaciæ in cogitatione conditor conſpicit, ſe ſibi hominem oſtendendo derelinquit, ut ejus mens derelicta quid ſit inveniat, quæ male in ſe ſecura gaudebat.

Si curare parva negligimus inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus. *cap. 9.*

A levioribus malis incipitur, & ad graviora pervenitur.

Sæpe divina miſeratio, quos prodire in effrenationem illicitæ libertatis conſpicit, objectione proſperæ adverſitatis frangit, quatenus eliſi diſcant, quàm reproba erectione tumuerant. *cap. 10.*

Cor nos in petitione reprehendit, cum reſiſtere ſe præceptis ejus, quem poſtulat, meminit. *cap. 11.*

Dignum profecto eſt ut ab ejus beneficijs ſit quiſque extraneus, cujus juſſionibus non vult eſſe ſubjectus.

Oratio fit execrabilis, cum à cenſura avertitur legis.

Cum male geſta defleveris, nequaquam rurſus facias, quod in precibus iterum plangas.

Ante orationis ſemper tempora debet ſollicite conſpici, quicquid poteſt in oratione reprobari; talemque ſe mens, cum ab oratione ceſſat, exhibere feſtinet, qualis apparere judici in ipſo orationis tempore exoptat.

Cum ſe mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat, quod erravit: quatenus cum erroris macula fletibus tergitur, in petitione ſua cordis facies ab auctore munda videatur.

Fit ut eo inveniatur quiſque tardior ad veniam, quo proficiendo factus eſt cautus ad culpam: & quo ipſe excedere in alterum metuit, hoc quod in ſe exceditur puniri durius exquirit.

Gravi mens noſtra orationis ſuæ tempore confuſione deprimitur, ſi hanc aut ſua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ

ſervatus dolor occidit.

Qui ſollicitus ſtudet peragere quod manſuete conditor imperat, ſecurus etiam cogitat, quod terribiliter intentat.

Mala vitæ præſentis tanto durius animus ſentit, quanto penſare bonum, quod ſequitur, negligit: & quia non vult conſiderare præmia quæ reſtant, gravia æſtimat eſſe quæ tolerat. cap. 12.

Si deguſtas gaudium quod intus permanet, leve fit omne quod foris dolet.

Tanto ſpes in Deum ſolidior ſurgit, quanto pro illo quiſque graviora pertulerit.

Nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hîc prius pia tribulatione ſeminatur.

Quiſquis præſentem gloriam quærit, profecto deſpectum metit.

Qui ſemper ad lucra inhiat, ſemper damna formidat.

Quiſquis in ſolo æternitatis deſiderio figitur, nec proſperi-

tate attollitur, nec adverſitate quaſſatur.

Tanto quiſque à ſe plenius pavorem, qui ex mundo eſt, abjicit, quanto in ſemetipſo verius concupiſcentiam mundi vincit.

Non abſque terrore, qui ex mundo eſt.

Cant. 8. Virtuti mortis dilectio comparatur, quia nimirum mentem, quam ceperit, à delectatione mundi funditus occidit.

cap. 13. Perverſi cum vera ſapiant, recta quædam rectioribus loquuntur: non ut alios audientes doceant, ſed ut ipſi quanta doctrina polleant, innoteſcant.

Omnes hæretici ſuperba voce meliores docere non metuunt: quia omnes ſe inferiores arbitrantur.

cap. 16. Ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur.

Quid ſtultius videtur mundo quam mentem verbis oſtendere, nil callida machinatione ſimulare, nullas injurijs cõtumelias reddere,

pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti maxillam alteram præbere?

Non eſt cenſus in crimine, ſed affectus. *cap. 17.*

Quiſquis jam terrena deſideria ſubigit, vitam in ſe carnalis converſationis extinguit, & mundo mortuus apparet.

Mentes carnalium penſare bona non valent, niſi quæ carnaliter vident.

In prolixo opere eſſe culpabilis ſtyli mutabilitas non debet. *l.11. c.1.*

Sæpe eoſdem cibos edentibus diverſitas placet coctionis.

Facile eſt hominem tunc divitias deſpicere, cum habet: difficile vero eſt eas, cum non habet, viles æſtimare. *cap. 2.*

Plerumque mali eo magis contra Deum ſuperbiunt, quo ab ejus largitate & contra meritum ditantur: & qui provocari bonis ad meliora debuerant, donis pejores fiunt.

Aliud eſt quod omnipotens Deus miſericorditer tribuit, aliud quod iratus haberi ſinit.

Quod iniqui tollunt, eis hoc ipſe dat, qui illis ad rapinam poſſet reſiſtere, ſi miſereri voluiſſet.

cap. 4. Infirma ætas etiam cum recte ſapit, ad prædicandam non debet incaute proſilire.

Illa dicta in ſapientiæ radice ſolidata ſunt, quæ per vivendi uſum, etiam actuum experimento convaleſcunt.

cap. 5. Mutum eſt os omne quod loquitur, ſi ille interius in corde non clamet, qui aſpirat verba quæ audiuntur.

Reprobus Judas cum mortem ſibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis ſupplicia pervenit, & pejus de peccato pœnituit, quàm peccavit.

Obdurare per juſtitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit.

Fructum non habent lamenta, quæ ſtudent cum gemitu

deſiderare peritura.

Magna ſacerdotis gloria eſt, rectitudo ſubditorum. *cap. 9.*

Iſta mors, in qua caro ſeparatur ab anima, umbra illius mortis eſt, in qua anima ſeparatur à Deo. *cap. 10.*

Habent hoc juſti proprium, ut in omne quod dicunt, atque omne quod agunt, non ſolum profectum ſuum, ſed etiam proximorum ædificationem quærant. *cap. 16.*

Nunquam eſt patientiæ virtus in proſperis. *cap. 17.*

In hoc mens juſta ab injuſta diſcernitur, quod omnipotentis Dei laudem & inter adverſa confitetur.

Electi quique culpis ſuis nunquam ſciunt parcere, ut poſſint culparum judicem placatum invenire. Et vere eum poſtmodum ſalvatorem invenire credunt, quem diſtricte modo judicem metuunt.

Qui tibi nunc in culpa parcit, ei poſtmodum in parva non parcitur.

cap. 21. Quiſquis æternitatis deſiderio anxius, apparere venturo judici deſiderat mundus: tanto ſe ſubtilius nunc examinat, quanto nimirum cogitat, ut tunc terrori illius liber aſſiſtat, & oſtendi ſibi exorat ubi diſplicet, ut hoc in ſe per pœnitentiam puniat, ſeque hîc judicans injudicabilis fiat.

cap. 24. Sicut in corpore, ita ſunt etiam incrementa ætatis in mente.

Illud juſti metuunt, quod in infirma ætate deliquerunt.

cap. 25. Semita anguſtior ſolet eſſe quàm via.

In ſemetipſo habet homo unde tentetur.

Veſtimentum à de ſe exorta tinea comeditur.

cap. 26. Nonnunquam culpa fortium occaſio virtutis fit: & virtus infirmorum, occaſio peccati.

Nullus facere mundum poteſt, niſi is qui mundus per ſemetipſum ſolus eſt.

Is, qui per ſe ſolus eſt mundus, mundare prævalet immunda.

Solus in carne ſua vere mundus extitit, qui delectatione carnis tangi non potuit, quia nec per carnalem huc delectationem venit.

Mare mens hominis, & quaſi fluctus maris ſunt cogitationes mentis, quæ aliquando per iram tumeſcunt, per gratiam tranquillæ fiunt, per odium cum amaritudine defluunt. *l.12.c.4.*

Vera lætitia mentis Creator eſt.

Solent hæretici errorum ſuorum dictis aliqua vera permiſcere. *cap. 15.*

Tanto ſemper mors ſurripiens timeri debet, quanto nunquam præuideri valet. *cap. 20.*

Ad hoc Conditor noſter latere nos voluit finem noſtrum, ut dum incerti ſumus, quando moriamur, ſemper ad mortem parati inveniamur.

Nihil ſimplici corde felicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil eſt quod pati ab alijs formidet. *cap.21.*

cap. 22. Sunt nonnulli, qui & ſi qua aliquando agere contra omnipotentis Dei judicium nituntur, ipſa impoſſibilitate explendæ ſuæ voluntatis fracti, ad ſemetipſos reſpiciunt, atque ad eum, quem contemnere voluerant, convertuntur: & qui diſcedere longe poterant, ſi quod vellent implere valuiſſent, per hoc aliquando ſalvantur, quia quod nequiter voluerunt, implere nequiverunt.

Tunc magis iraſcitur Deus, quando permittit impleri quod ſaltem concipi in cogitatione non debuit.

cap. 23. Tunc eleemoſynæ pretium nos à culpis liberat, cum perpetrata plangimus & abdicamus.

Eleemoſyna ſuperbi divitis eum redimere non valet, quam perpetrata ſimul rapina pauperis ante Dei oculos aſcendere non permittit.

Præfixi dies ſingulis ab interna Dei præſcientia nec augeri poſſunt, nec minui: niſi contingat ut ita

præſciantur, ut aut cum optimis operibus longiores ſint, aut cum peſſimis breviores.

Niſi prius cor longo ſtudio & diutina converſatione in deſiderijs cæleſtibus convaleſcat, cum ad exteriora agenda refunditur, ab omni ſtatu boni operis eradicatur.

Arbor quæ radices in altum *cap. 24* prius non mittit, citius ventorum impetu ſternitur.

Mirum non eſt, ſi quis bona inchoet; ſed valde mirabile eſt, ſi intentione recta in bono opere perduret.

Eſſe hoc perverſorum proprium *l. 13. c. 1.* ſolet, quod ſua mala per convicium bonis ingerant, prius quàm de eis ipſi veraciter accuſentur: & dum metuunt increpari de his, quæ faciunt, adverſantes ſuis pravitatibus juſtos hæc facere teſtantur.

Ille bene novit in exterioribus *cap. 3.* miſerijs ſubſiſtere, qui ſcit de ſpe interna gaudere.

cap. 4. Sæpe contingit ut ſancta Eccleſia non ſolum infideles atque extra poſitos adverſarios toleret, ſed eorum quoque inſidias atque adverſitatem vix ferat, quos intus habet.

cap. 6. Facile inimico reſiſtitur, ſi non ei vel in multis lapſibus, vel in uno diutius conſentiatur.

cap. 8. Ut in nobis ſacramentum dominicæ Paſſionis non ſit ocioſum, debemus imitari quod ſumimus.

cap. 9. Omne quod tranſit breve eſt, etiam ſi terminari tardius videatur.

cap. 10. Electorum mentes, quo amplius extremo judicio propinquare ſe ſentiunt, eo ad diſcutiendas ſemetipſas terribilius contremiſcunt.

Reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia hîc ſe vivere diutius arbitrantur.

Qui conſiderat qualis erit in morte, ſemper fit timidus in operatione; atque unde in oculis ſuis jam quaſi non vivit, inde veraciter

ter in oculis ſui conditoris vivit. Nil quod tranſeat appetit, cunctis præſentis vitæ deſiderijs contradicit, & pene mortuum ſe conſiderat, quia moriturum minime ignorat.

Perfecta vita eſt mortis imitatio.

Sunt nonnulli, qui & flagella tolerant, & tamen mentem ad flagellantis metum non reformant: Quia etſi corpus ſub diſciplina eſt, cor ſub diſciplina non eſt. *cap. 11.*

Humanæ mentis eſt proprium hoc, ſibi fieri ſuſpicari, quod facit. *l. 14. c. 2*

Plerumque & bona malis, & mala bonis eveniunt, pro eo quod & vera bona bonis, & vera mala malis in æterna retributione ſervantur. *cap. 5.*

Quaſi eſca in laqueo, eſt lucrum cum culpa, & hujus mundi proſperitas cum iniquitate. *cap. 7.*

Exiſtunt qualitates morum, quæ certis vitijs ſunt vicini. Nam mores aſperi aut crudelitati, aut ſu-

perbiæ ſolent eſſe conjuncti: mores autem blandi, & quàm decet paulo amplius lætiores, nonnunquam luxuriæ & diſſolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani uniuſcujuſque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcit facilius inclinari mentem: ut blandis ac lætis moribus ſæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam: aſperis vero mentibus iram, ſuperbiam vel crudelitatem proponat.

cap. 13. Ordo erectionis in bono iſte eſt ut primum contra nos, poſtmodum contra malos erigamur.

Qui ſemetipſum prius non judicat, quid in alio rectum judicet, ignorat.

Prius ipſi purgandi ſunt, per quos aliorum culpæ feriuntur.

cap. 14. Juſtus non eſt qui juſtitiam in dolore deſerit.

Omnipotens Deus quid nobis profuturum eſſe valeat ſciens, diſſimulat exaudire dolentium vo-

cem, ut augeat utilitatem, ut purgetur vita per pœnam, & quietis tranquillitas, quæ hîc inveniri non valet, alibi quæratur.

Ex pœna culpæ eſt, videre bonum quod agere debeat *homo*, & tamen implere non poſſe: & rurſum ex graviori pœna culpæ eſt, quod agere debeat, non videre. *cap. 15.*

Plerumque ducibus cadentibus latius ſuccumbit exercitus, qui ſequebatur. *cap. 16.*

Cum virtutem noſtræ patientiæ flagella tranſeunt, valde metuendum eſt, ne peccatis noſtris exigentibus non jam quaſi filij à patre, ſed quaſi hoſtes à Domino feriamur. *cap. 17.*

Homines cum per diſciplinam alios feriunt, ſic alienam infirmitatem debent percutere, ut etiam ad ſuam noverint oculos revocare: ut ex ſemetipſis conſiderent, quantum alijs feriendo parcant, cum ſe quoque ipſos dignos percuſſionibus non ignorant. *cap. 24.*

Si qui fortaſſe ſint, qui aſperi-

tate correptionis indigeant, tunc eis dura correptio à nobis admovenda eſt, cum Dei manus ceſſat à verbere. Cum vero ſuperna flagella inſunt, non à nobis jam correptio, ſed conſolatio debetur, ne dum in dolore increpationem jungimus, percuſſionem percuſſioni ſociemus.

cap. 29. Granum cum culmo & folijs naſcitur, quod ſine culmo & folijs ſeminatur.

In cæleſtis regni gloria caro ſecundum naturam erit, ſed ſecundum paſſionum deſideria non erit.

cap. 30. Fatemur carnem noſtram poſt reſurrectionem futuram & eamdem & diverſam: eamdem per naturam, diverſam per gloriam; eamdem per veritatem, diverſamque per potentiam. Erit ſpiritalis, quia & incorruptibilis. Erit palpabilis, quia non amittet eſſentiam veracis naturæ.

Vitari terror judicis non niſi ante judicium poteſt. Modo non cernitur, ſed precibus placatur.

Neceſſe eſt nunc timere judicem, cum nec dum judicium exercet, cum diu mala ſuſtinet, cum adhuc mala tolerat, quæ videt: ne cum ſemel manum in retributione ultionis excuſſerit, tanto in judicio diſtrictius feriat, quanto ante judicium diutius expectat.

Flammis ultricibus traditus peccator, ſemper moritur, quia ſemper in morte ſervatur. Non enim in morte conſumitur, quia ſi conſumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur. Sed ut ſine fine crucietur, vivere ſine fine in pœna compellitur, ut cujus vita hîc mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. Cruciatur, & non extinguitur: moritur, & vivit, deficit, & ſubſiſtit: finitur ſemper, & ſine fine eſt. Hæc ſolo auditu valde ſunt terribilia, quanto magis paſſione? *l.15.c.11*

Maligni ſpiritus certis quibuſque vitijs ſinguli obſequi credendi ſunt. *cap. 16.*

Ignis corporeus ut eſſe ignis *cap. 17.*

Devorabit eũ ignis qui non ſuccendetur. valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum neceſſe eſt ut ſervetur, per congeſta ligna procul dubio nutritur, nec valet niſi ſuccenſus, eſſe, & niſi refotus, ſubſiſtere.

Iob. 20. At contra gehennæ ignis, cum ſit incorporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur: ſed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſuccenſione non indiget, & ardore non caret.

cap. 20. Cum diſtricta Dei omnipotentis juſtitia ſupplicium à reprobis pro perverſis actibus exigit, eis mala uſque ad verborum retributionem reddit, ut qui de magnis malis debitores ſunt, ſupplicijs traditi, etiam noviſſimum quadrantem ſolvant. Illis minima parcuntur, qui majora in ſe diſtricte mala deſleverunt. Nam quos magna premunt, etiam mala minima in gehenna pariter affligunt.

cap. 21. Omnis qui Deo placens, hominibus diſplicet, cauſas triſtitiæ

nullas habet. Qui autem aut hominibus placens, Deo diſplicet, aut ſimul Deo & hominibus diſplicere ſe credit, ſi hunc triſtitia non afficit, à virtute ſapientiæ alienus eſt.

Via Dei pax, via Dei humilitas, via Dei patientia eſt. *cap 25.*

Cum Deus in oratione non quæritur, citius in oratione animus laſſatur. Quia cum illa quiſque poſtulat, quæ fortaſſe juxta occultum judicium Deus tribuere recuſat, ipſe quoque venit in faſtidium, qui non vult dare quod amatur. *cap. 27.*

Nobis in intentione æternitas, in uſu vero temporalitas eſſe debet.

Neſcit impius mala quæ fecit, niſi cum pro eiſdem malis puniri jam cæperit. *cap. 31.*

Sæpe hi, qui ſupplicia æterna non metuunt, prava agere pro temporali percuſſione pertimeſcunt.

Nec divitiæ debent mentem *cap. 32.*

extollere, nec inopia perturbare.

cap. 33. Ex abundantia rerum ſuperbia naſcitur.

cap. 34. Unde dives ſuperbo corde & inaniter gaudet, inde pauper alius ſuperbo corde inanius affligitur.

cap. 35. Sæpe diu divina patientia tolerat, quos jam ad ſupplicia præſcita condemnat, permittit florere, quos adhuc cernit deteriora perpetrare. Quia enim videt ad quam damnationis foveam tendant, hoc eis pro nihilo eſſe exiſtimat, quod hîc perverſi relinquenda multiplicant.

Viator dicitur, qui præſentem vitam, viam ſibi eſſe & non patriam attendit: qui in dilectione prætereuntis ſæculi cor figere deſpicit: qui non remanere in tranſeuntibus, ſed ad æterna pervenire concupiſcit.

Dum æterna retributio cogitatur, præſens gloria, quàm nihil ſit, cognoſcitur.

Sæpe malus indignationem conditoris ſui, quam in æternum paſſurus eſt, & in hac quoque vita poſitus experitur, dum proſperitatem, quam amat; amittit, & adverſitatem, quam formidat, incurrit. cap. 36.

Ad hoc pignus accipimus, ut de promiſſione quæ nobis fit, certitudinem teneamus. l. 16. c. 2.

Nudus expoliari nequit. Cap. 2.

Hæretici, quo veritatis ſoliditatem non tenent, eo nonnunquam ſtudent ut loquaciores appareant. cap. 3.

Hæretici quia ſe eſſe ſapientes arbitrantur, verba contra catholicos irriſionis proferunt.

Sic *Deus* intendit omnibus, ut adſit ſingulis: ſic adeſt ſingulis, ut ſimul omnibus nunquam deſit. Nam etſi quoſdam peccantes deſerit, eiſdem tamen ipſis adeſt per judicium, quibus deeſſe cernitur per adjumentum. Sic exteriora circumdat, ut interiora impleat: ſic interiora implet, ut exteriora circumdet: ſic ſumma regit, ut ima non deſerat: ſic imis præſens cap. 4.

eſt, ut á ſuperioribus non recedat: ſic latet in ſua ſpecie, ut tamen cognoſcatur in operatione: ſic cognoſcitur in ſuo opere, ut tamen comprehendi non valeat à cognoſcentis operatione: ſic adeſt ut videri nequeat, ſic videri non valet, ut tamen ejus præſentiam ſua judicia teſtentur: ſic ſe nobis intelligendum præbet, ut tamen ipſum nobis radium ſui intellectus obnubilet: & rurſum ſic caligine nos ignorantiæ reprimit, ut tamen menti noſtræ radijs ſuæ claritatis intermicet.

Semita Redemptoris noſtri humilitas, ſemita ſæculorum ſuperbia eſt.

cap. 5. Omnipotens Deus etſi plerumque mutat ſententiam, conſilium nunquam.

cap. 7. Culpa ſuperbiæ eſt docere meliorem.

cap 9. Anima, cum internis delicijs abundare cæperit, terrenis jam operibus incubare minime conſentit.

Cum reatu culpæ deprimimur, ad Deum levare cordis noſtri faciem veremur.

Deſperatis ægris Medici, quicquid popoſcerint, dari præcipiunt: & eis quos reduci poſſe ad ſalutem prævident, quæ appetunt, dari contradicunt.

Illum in extremo examine juſtitia æterni judicis ſalvat, quem hîc ejus pietas ab immundis operibus liberat. *cap. 10.*

Si ſuperna gratia nocentem non prævenit, nunquam profectò inveniet, quem remuneret innocentem.

Superna pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis, ut ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus, agat nobiſcum, quod tamen per impenſam gratiam in extremo judicio ita remunerat in nobis, ac ſi ſolis proceſſiſſet ex nobis.

Qui hîc prævenitur dono, ut innocens fiat, cum ad judicium ducitur, ex merito remuneratur.

cap. 11. Fit miro omnipotentis Dei moderamine, ut cum in hoc mundo mens juſti adverſitatibus plus laborat, auctoris ſui contemplandam faciem plus ſitiat.

cap. 13. Tunc culpas plangimus, cum penſare cœperimus.

cap. 15. Cum contra nos latere quempiam in inſidijs credimus, eo illum amplius metuimus, quo minime videmus. Cumque ejus inſidias nequaquam deprehendimus ubi ſunt, & ibi eas metuimus, ubi non ſunt.

Aurum in fornace ad naturæ ſuæ claritatem proficit, dum ſordes amittit.

Quamvis de ſe humilia ſentiat animus juſtorum, ea tamen quæ agunt, quàm ſint recta conſpiciunt, ſed de eorum rectitudine non præſumunt.

cap. 16. Hæc eſt ſollicitudo juſtorum, ut actus ſuos quotidie juxta vias veritatis examinent, & eas ſibi in regulas proponentes, à rectitudinis earum tramite non declinent.

Dei voluntati nec illa obſiſtunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur: quia ad hoc nonnunquam permittit fieri etiam quod non præcipit, ut per hoc illud certius impleatur quod jubet. *cap. 18.*

Apoſtatæ Angeli perverſa voluntas eſt, ſed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, ut ipſæ quoque inſidiæ utilitati bonorum ſerviant, quos purgant, dum tentant.

Malum timeri debet, quod necdum ſuſceptum eſt.

Malorum mentes cum renuunt conſiderare quod timeant, ad hoc quandoque gaudentes perveniunt, quod timentes nullo modo evadant.

Sæpe in ipſo orationis ſacrificio importune ſe cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Unde Abraham cum ad occaſum ſolis ſacrificium offerret, inſiſtentes aves pertulit, quas ſtudioſe, ne oblatum ſacrificium raperent, abegit. *cap. 19.* *Geneſ. 15.*

cap. 21. Pignus cum tollitur, aliud quidem eſt quod tenetur, ſed tamen adhuc aliud quæritur.

Sunt nonnulli hæretici, qui populis admiſceri fugiunt, ſed ſeceſſum vitæ ſecretioris petunt, qui plerumque eos, quos inveniunt, eo amplius peſte ſuæ perſuaſionis inficiunt, quo quaſi ex vitæ meritis reverentiores videntur.

cap. 23. Etſi juſto ordine injuſtum aliquid *Deus* juſte fieri permittit, inultum tamen abire non ſinit injuſtum, quod fieri juſte permiſit.

Anguſtior eſt ſemita quàm via.

cap. 25. Plerumque unus mala inchoat; & imitando multi ſubſequuntur; ſed ejus principaliter culpa eſt, qui perverſis ſequentibus exempla præbuit iniquitatis.

cap. 28. Omnipotentis Dei miſericordia oblviſci ejus dicitur, qui omnipotentis Dei juſtitiæ fuerit oblitus: quia quiſquis eum nunc juſtum non timet, poſtea invenire non valet miſericordem.

Ultio æternæ animadverſionis non evaditur, utrum in fide, an in opere peccetur.

Caro cum concupiſcitur, penſetur quid ſit examinis, & intelligitur quid amatur. *cap. 19.*

Nihil ſic ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum, quàm ut unuſquiſque hoc, quod vivum diligit, quale ſit mortuum penſet.

Humano uſu & recordari Deus dicitur, cum dona tribuit, & obliviſci cum in culpa derelinquit. *l. 17. c. 2.*

Sæpe prædicator erroris hujus mundi divitibus jungitur, qui pro eo quod terrenis occupationibus incumbant, dictorum deprehendere aſtutias ignorant: & cum potentes eſſe ambiunt, perverſæ prædicationis laqueo ſine labore capiuntur. *cap. 3.*

Conditor mira diſpenſatione conſilij, & culpas reſpicit, & vivendi tempora impendit, ut longiora temporalis vitæ ſpatia aut converſo fiant in adjutorium mu-

neris, aut non converſo in augmentum damnationis.

cap. 4. Quiſquis delinquit & vivit, idcirco hunc divina diſpenſatio in æquitate tolerat, ut ab iniquitate compeſcat. Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compeſcitur, munus quidem ſupernæ patientiæ percipit, ſed reatus ſui vinculis ex ipſo ſe munere arctius aſtringit.

Neceſſe eſt ut cum nos diutius expectari conſpicimus, ipſa prorogatæ pietatis tempora, quaſi damnationis argumenta timeamus, ne ex clementia judicis creſcat ſupplicium peccatoris, & unde quiſque à morte eripi poterat, inde gravius ad mortem tendat.

cap. 11. Adjuvare imbecillem charitatis eſt; adjuvare potentem velle, elationis.

cap. 12. Ipſa occupatio ſæcularium dignitatum tanto facilioribus vitijs premitur, quanto majoribus curis gravatur.

l. 18. c. 3. Duobus modis Eccleſia tentari ab-

adverſarijs ſolet, ut videlicet perſecutionem aut verbis patiatur, aut gladijs. Exercetur ejus ſapientia cum tentatur verbis, & exercetur ejus patientia cum tentatur gladijs.

Omnis voluntas Diaboli injuſta eſt, tamen permittente Deo omnis poteſtas juſta. Ex ſe enim tentare quoſlibet injuſte appetit, ſed eos qui tentandi ſunt, non niſi tentari Deus juſte permittit.

Nonnunquam pejus eſt mendacium meditari, quàm loqui. Nam loqui plerumque præcipitationis eſt, meditari vero ſtudioſæ pravitatis. *cap. 4.*

Tunc verius à peccatis alienis abſiſtimus, cum prius nos à proprijs cuſtodimus.

Tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum ſibi vitæ pravitas nulla contradicit. *cap. 5.*

Valide apud Deum utraque hæc ſibi neceſſario congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio.

cap. 7. Hypocrita juſtus eſſe non appetit, ſed videri.

Studium eſſe hypocritarum ſolet, ut & quod ſunt ſupprimant, & hoc quod non ſunt, eſſe ſe hominibus innoteſcant.

Deus qui nos prohibet, ne proprio ore laudemur, per ſcripturam ſacram laudes ſuas loquitur: non quia ipſe eis indiget, qui proficere laudibus neſcit; ſed dum ſuam nobis magnitudinem narrat, noſtram ad ſe imperitiam ſublevat: & bona ſua loquendo nos edocet, quem omnino homo non cognoſceret, ſi de ſe tacere voluiſſet. Idcirco ergo laudes ſuas indicat, ut valeamus eum audientes cognoſcere, cognoſcentes amare, amantes ſequi, ſequentes adipiſci, adipiſcentes vero ejus viſione perfrui.

Sancti viri nonnunquam quædam de ſe, ut audientes inſtruant, non ut ipſi proficiant, manifeſtant.

cap. 8. Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur.

Eſſe ſine delectatione anima nunquam poteſt. Nam aut infimis delectatur, aut ſummis.

Nequaquam rectæ veritatis fundamentum ponitur, niſi prius erroris fabrica deſtruatur.

Terrena omnia, quæ ſervando amittimus, largiendo ſervamus: patrimoniumque noſtrum retentum perditur, manet erogatum. *cap. 12.*

Diu cum rebus noſtris durare non poſſumus: quia aut nos illas moriendo deſerimus, aut illæ nos viventes quaſi deſerunt pereundo.

Flagellum tunc diluet culpam, cum mutaveris vitam. Nam cujus mores non mutat, non expiat actiones. *cap. 13.*

Omnis divina percuſſio, aut purgatio in nobis vitæ præſentis eſt, aut initium pœnæ ſequentis.

Dum juſta ultio injuſtos ſubſtrahit, alios à pravitate compeſcit.

Hæretici ſic de eloquij ſui nitore ſuperbiunt, ut nulla ſacrorum li- *cap. 14.*

brorum auctoritate ſolidentur.

Sæpe hæretici dum ſua ſtudent perverſa aſtruere, ea profecto in ſacrorum librorum paginis non tenentur.

Dum laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quaſi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur.

Qui de Deo perverſa ſentit, liquet profecto quia Deum non diligit. Qui vero de Deo recta ſentiens, à ſanctæ Eccleſiæ unitate diviſus eſt, conſtat quia proximum non amat, quem habere ſocium recuſat.

Quiſquis ab unitate matris Eccleſiæ ſine per hæreſim perverſa de Deo ſentiendo, ſeu errore ſchiſmatis proximum non diligendo dividitur, charitatis hujus gratia privatur, de qua Paulus dicit: *Si*
1.Cor.13 *tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.*

cap. 15. Non niſi in chatholica Eccle-

ſia veri martyres fiunt.

Vilis Deo eſt mundus præſens; preciosa: vero ei eſt anima humana. cap. 20.

Exteriores curæ, ſi perverſo amore non appetuntur, non confuſo ſed ordinato animo miniſtrari queunt. Sancti etenim viri nequaquam eas appetunt, ſed occulto ordine ſibi ſuperimpoſitas gemunt: & quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per ſubditam mentem portant. cap. 25.

Solus veraciter eſt, qui ſolus incommutabiliter permanet.

Mediator Dei atque hominum homo Chriſtus Ieſus non alter in humanitate, alter in deitate eſt. Non purus homo conceptus atque editus, poſt per meritum, ut Deus eſſet, accepit: ſed nunciante Angelo & adveniente Spiritu, mox verbum in utero, mox intra uterum verbum caro, & manente incommutabili eſſentia, quæ ei eſt cum Patre, & cum Sancto Spiritu coæterna, aſſumpſit intra virginea viſcera, unde & impaſſi- cap. 27.

bilis pati, & immortalis mori, & æternus ante ſæcula temporalis poſſet eſſe in fine ſæculorum: ut per ineffabile ſacramentum conceptu ſancto, & partu inviolabili ſecundum veritatem utriuſque naturæ, eadem Virgo & ancilla Domini eſſet & mater. Et quamvis ipſe aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine: ſed ipſe eſt æternus ex Patre, ipſe temporalis ex Matre: ipſe qui fecit, ipſe qui factus eſt: ipſe ante ſæcula de Patre ſine Matre, ipſe in fine ſæculorum de Matre ſine Patre: ipſe Conditoris templum, ipſe Conditor templi: ipſe auctor operis, ipſe opus auctoris: manens unus ex utraque & in utraque natura, nec naturarum copulatione confuſus, nec naturarum diſtinctione geminatus.

cap. 28. Nemo poteſt Deum ſimul amplecti & ſæculum.

Nullus unquam Deum ſpiritaliter videt, & mundo carnaliter vivit.

Deum Angeli & vident, & videre deſiderant, & ſitiunt intueri & intuentur. Ne enim ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur: ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant. Et deſiderant igitur ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur: & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.

Deſiderium ſine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam.

Satietatem ſolet faſtidium ſubſequi.

Erit nobis in videndo Deo delectabiliter impreſſa ſitis ſimul atque ſatietas; ſed longe ab iſta ſiti neceſſitas, longe à ſatietate faſtidium: quia & ſitientes ſatiabimur, & ſatiati ſitiemus.

Ut beati atque æterni ſimus, in æternum imitamur æternum. Et magna nobis eſt æternitas imitatio æternitatis.

Sancti ipſi, qui ſancto ſublevante *l. 19. c. 5*

Spiritu ad ſumma rapiuntur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt: ſed ne extollantur ſuperbia, fit in eis ipſarum quædam menſura virtutum. Hinc eſt enim quod Helias dum tot virtutibus in alta profeciſſet, quadam menſura ſuſpenſus eſt, dum Jeſabel poſtmodum Reginam, tamen mulierculam fugit.

Cuſtos eſt virtutis infirmitas.

Tunc bene interius cuſtodimur, cum per diſpenſationem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitijs, aliquando preſſuris.

Ad ima pertrahit caro, ne extollat, ſpiritus: & ad alta ſuſtollit ſpiritus, ne proſternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis: caro aggravat, ne extollamur ex ſummis. Si non ſublevante ſpiritu nos caro tentaret, * pondere procul dubio tentationis ſuæ in ima dejiceret.

* *Al. perfectione.*

jiceret. Rurſum vero ſi non tentante carne ad ſumma nos ſpiritus ſublevaret, in ſuperbiæ caſu ipſa nos pejus ſublevatione proſterneret.

Ille veraciter vim divini timoris intelligit, qui ſe à cunctis pravis operibus cuſtodit. *cap. 6.*

Ab adverſarijs ſuis duobus modis Eccleſia perſecutionem patitur, ſcilicet aut verbis aut gladijs. Sed cum verbis perſecutionem ſuſtinet, exercetur ejus ſapientia: cum vero gladijs, exercetur ejus patientia. *cap. 7.*

Multo magis intrinſecus Deo, quàm extrinſecus hominibus conſpicabiles ſumus. *cap. 9.*

Hæreticæ pravitatis auctores ſuis ſibi viciſſim allegationibus contradicunt. Arrius tres perſonas in divinitate ſuſcipiens, tres etiam Deos credidit. Quem contra Sabellius unum Deum ſuſcipiens, unam credidit eſſe perſonam. Quia in ſacro eloquio Manichæus virginitatem laudari comperit, con- *cap. 11.*

jugia damnavit. At contra Jovinianus quia concedi conjugia cognovit, virginitatis munditiam deſpexit. Unde fit ut ſemper hæreticis perverſa intelligentia confuſis, viciſſim ſibi eorum nequitia & in culpa concordet, & in ſententia diſcrepet.

Mos veterum fuit, ut ſeniores in porta conſiſterent, & cauſas introeuntium judicarent; quatenus tanto eſſet pacificus urbis populus, quanto ad hanc diſcordes ingredi non liceret.

cap. 12. Neque aut in opere jam perfectus eſt, cui linguæ pravitas contradicit; aut in ſermone laudabilis, qui hoc quod loquitur, opere non oſtendit.

cap. 13. Eleazar in prælio elephantem
1. Machab. 6. feriens ſtravit, ſed ſub ipſo, quem extinxit, occubuit. Quos ergo iſte ſignificat, quem ſua victoria oppreſſit, niſi eos qui vitia ſuperant, ſed ſub ipſa, quæ ſubjiciunt, ſuperbiendo ſuccumbunt? Quaſi enim ſub hoſte, quem proſternit, mo-

ritur, qui de culpa quam ſuperat, elevatur.

Bona prodeſſe nequeunt, ſi mala, quæ ſubrepunt, non caventur. Perit omne quod agitur, ſi non in humilitate cuſtoditur. Operatur, qui agit bonum, quod præcipitur; ſed quod operatus fuerit, non cuſtodit, cui hoc ſubrepit quod prohibetur.

Sancti viri cum coguntur bona narrare, quæ faciunt, non elationi ſervient, ſed utilitati. cap. 14.

Ille bene agit quæ pia ſunt, qui ſcit prius ſervare, quæ juſta: ut collatus in proximis rivus miſericordiæ, de juſtitiæ fonte ducatur.

Hoc eſt *Deo* velle, quod poſſe.

Multi proximis quaſi miſericordiæ opera impendunt, ſed injuſtitiæ facta non deſerunt.

Qui miſereri vult proximo, à ſe trahat neceſſe eſt originem miſerendi.

Qui indigenti proximo exteriorem ſubſtantiam præbet, ſed vitam ſuam à nequitia non cuſto-

dit, rem ſuam Deo tribuit, & ſe peccato. Hoc quod minus eſt obtulit anctori, & hoc quod majus eſt ſervavit iniquitati.

In ipſo miſericordiæ opere plus ſolet apud internum judicem animus penſari, quàm factum.

Crebro peccatum aut ignorantia, aut infirmitate perpetratur: ut vel neſciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit poſſit.

Qui æternæ retributionis bona cogitat, neceſſe eſt ut ad omnem ſe cauſam ſecuturæ mercedis extendat.

Sancta Eccleſia ſic conſiſtit unitate fidelium, ſicut corpus noſtrum unitum eſt compage membrorum. Corporis membra viciſſim ſibi ſua officia impartiendo copulantur, ut pes oculis currat, & oculus pedi proſpiciat. Sic ſanctæ Eccleſiæ membra debent & officio eſſe diſtincta, & charitate conjuncta.

Hominis ſenſus tanto ſubtilius ſuperiora penetrat, quanto humi-

lius pro amore conditoris nec inferiora contemnit.

Majora crimina & tarde credenda ſunt, cum audiuntur; & citius punienda ſunt, cum veraciter agnoſcuntur.

Palma tarde proficit; ſed diu in viriditate ſubſiſtit. *cap. 16.*

Palma inferius tactu aſpera eſt, & quaſi aridis corticibus obvoluta, ſuperius vero & viſu & fructibus pulchra: inferius corticum ſuarum involutionibus anguſtatur, ſed ſuperius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur.

Omnis arbor in ſuo robore juxta terram vaſta ſubſiſtit; ſed creſcendo ſuperius anguſtatur, & quanto pauliſper ſublimior, tanto in altum ſubtilior redditur. Palma vero minor ab imis inchoat, & juxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vaſtior ad ſumma ſuccreſcit.

Palma vaſtior in ſummitate eſt, quam eſſe cœperit ex radice.

In arcu quanto longe trahitur chorda, tanto de eo diſtrictior exit ſagitta.

Extremi judicij dies quanto longe differtur ut veniat, tanto cum venerit, de illo diſtrictior ſententia procedit.

Pene nullus quærit ſcire quod credidit.

Dum teſtamentum novum legitur, duritia teſtamenti veteris emollitur.

l.20.c.1. Omnem ſcientiam atque doctrinam Scriptura ſacra ſine aliqua comparatione tranſcendit, vera prædicat, ad cæleſtem patriam vocat, à terrenis deſiderijs ad ſuperna amplectenda cor legentis immutat, dictis obſcurioribus exercet fortes, & parvulis humili ſermone blanditur: nec ſic patet ut vileſcat: uſu faſtidium tollit, & tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur: legentis animum humilibus verbis adjuvat, ſublimibus ſenſibus levat: aliquo modo cum legentibus creſcit;

à rudibus lectoribus quaſi recognoſcitur, & tamen doctis ſemper nova reperitur: ſcientias omnes atque doctrinas ipſo etiam locutionis ſuæ more tranſcendit, quia uno eodemque ſermone dum narrat textum, prodit myſterium, & ſic ſcit præterita dicere, ut eo ipſo noverit futura prædicare, & non immutato dicendi ordine, eiſdem ipſis ſermonibus novit & anteacta deſcribere, & agenda nunciare.

Debet ſubtiliter is, qui docet, perſpicere, ne plus ſtudeat, quàm ab audiente capiatur, prædicare. *cap. 2.*

In menſa Domini & phialæ præparantur, & ciathi: quia videlicet in doctrina ſacri eloquij non ſolum exhibenda ſunt magna & arcana quæ deebriant: ſed etiam parva & ſubtilia quæ quaſi per guſtum notitiam præſtant. *Exod. 37.*

Talis debet eſſe diſpenſatio regiminis, ut is qui præeſt ea ſe circa ſubditos menſura moderetur, quatenus & arridens timeri- *cap. 3.*

debeat, & iratus amari, ut nec eum nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata ſeveritas odioſum.

cap. 5. Electi quique quamdiu in hac vita ſunt, ſecuritatis ſibi confidentiam non promittunt.

Sæpe multis grave periculum incauta ſecuritas fuit, ut callidi hoſtis inſidias non tentati, ſed jam proſtrati cognoſcerent.

Sancti viri ſic de ſpe certi ſunt, ut tamen ſemper ſint de tentatione ſuſpecti.

cap. 8. Diſciplina vel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur.

Circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet & juſte conſolans miſericordia, & pie ſæviens diſciplina.

Miſcenda eſt lenitas cum ſeveritate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſolvantur.

cap. 9. Nonnunquam hæretici quanto

magis in perfidiæ errorem dilabuntur, tanto amplius in exteriori ſe ſe operatione cuſtodiunt, ita ut agere præ cæteris magna videatur.

Probatio ſanctitatis non eſt ſigna facere, ſed unumquemque ut ſe diligere; de Deo vera cognoſcere, de proximo vero meliora quàm de ſemetipſo ſentire.

Arbor juniperi pro folijs punctiones habet. *cap. 12.*

Sæpe omnipotens Deus electos ſuos cum donis interioribus ditat, exterioribus etiam honoribus ſublevat. Cumque eos præferendo cæteris, honorabiles reddit, latius imitabiles oſtendit. *cap. 15.*

Amant perverſi homines pro hujus mundi gloria etiam tribulationes. *cap. 16.*

Mundi gloriam ſitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit, amarum eſt quod bibit. Sed quia hoc nimis inhianter ſumpſit, ejuſdem amaritudinis malum diſcernere jam præ ipſa ebrietate non ſufficit.

cap. 23. Pene omne quod de Deo dicitur, eo ipſo jam indignum eſt, quod potuit dici. Sanctus ergo Spiritus hoc ipſum hominibus intelligentibus inſinuans, quàm ſint ineffabilia ſumma etiam verba divina, his verbis nonnunquam de Deo utitur, quæ apud homines habentur in vitio, ut ex his quæ indigna videntur hominibus, & tamen dicuntur de Deo, admoneantur ſcire homines quod nec illa jam Deo digna ſint, quæ dum digna habentur apud homines, digna putantur Deo.

Deo futurum nihil eſt, ante cujus oculos præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt.

cap. 26. Ille perfecte tribuit, qui cum eo, quod affligit, afflicti quoque in ſe animum fugit: ut prius in ſe dolentis paſſionem transferat, & tunc contra dolorem illius miniſterium concurrat.

Sæpe largitorem muneris rerum facit abundantia, & non virtus compaſſionis.

Qui afflicto perfecte compatitur, plerumque & hoc indigenti tribuit, in quo ipſe, qui dederit, anguſtatur.

Tunc plena eſt cordis noſtri compaſſio, cum malum inopiæ pro proximo ſuſcipere non metuimus, ut illum à paſſione liberemus.

Plus nonnumquam eſſe dicimus compati ex corde quàm dare; quia quiſquis perfecte indigenti compatitur, minus æſtimat omne quod dat.

Facile eſt in bono opere obedire etiam volentem.

Rem quamlibet dat etiam qui non compatitur: nunquam autem, qui vere compatitur, quod neceſſarium proximo conſpicit, negat.

Exteriora largiens, rem extra ſemetipſum præbet. Qui autem fletum & compaſſionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de ſemetipſo dat.

Miro ordine, uno eodemque tempore convenire in actibus bonorum ſolet, & foris honor culmi- *cap. 28.*

nis, & intus afflictæ mœror humilitatis.

Sciunt electi quique conſideratione intima contra exterioris excellentiæ tentamenta pugnare.

Quia cor humanum non poteſt de ipſis proſperitatibus rerum quantulacumque gloria nullo modo tentari, contra ipſam proſperitatem ſuam ſancti viri intrinſecus dimicant.

Sancto viro adhuc in hac peregrinatione poſito, omne quod ſine viſione Dei abundat, inopia eſt.

Amica poteſtati pene ſemper impatientia eſt, eique etiam malæ ſubjectæ imperat, quia quod ipſa ſentit, poteſtas exequitur.

Sancti viri plus ſe interius patientiæ jugo ſubjiciunt, quàm foris hominibus præſunt: & eo veriorem principatum foris exhibent, quo humiliorem Deo intrinſecus famulatum tenent.

Nullus perfectus eſt, qui inter proximorum mala patiens non eſt.

Abel eſſe renuit, quem Caïn malitia non exercet.

Duos filios habuit primus homo, ſed unus electus, alter reprobus fuit. Tres filios Noë arca continuit, ſed duobus in humilitate perſiſtentibus, unus ad patris irriſionem ruit. Duos Abraham filios habuit, ſed unus innocens, alius vero fratris perſecutor fuit. Duos Iſaac filios habuit, unus in humilitate ſervatus, alter vero & priuſquam naſceretur, reprobatus eſt. Duodecim Iacob filios genuit, ſed ex his unus per innocentiam venditus, cæteri vero per malitiam venditores fratris fuerunt.

Roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina, quæ pungit.

Quo ardet palea, purgatur aurum.

Siccatur chorda, ut congruum in cythara cantum reddat. *cap. 31.*

Chorda in cythara, ſi minus tenditur, non ſonat : ſi amplius raucum ſonat.

Virtus abſtinentiæ aut omnino

nulla eſt, ſi tantum quiſque corpus non edomat quantum valet: aut valde inordinata eſt, ſi corpus atterit pluſquam valet.

Per abſtinentiam carnis vitia ſunt extinguenda, non caro.

l.21.c.1. Plerique quidem dum verba ſacri eloquij pluſquam debent, diſcutiunt, in carnalem intellectum cadunt.

Sanguinem elicit, qui vehementer emungit.

cap. 2. Semel ſpecies cordi per oculos illigata vix magni luctaminis manu ſolvitur.

Ne quædam lubrica in cogitatione verſemus providendum nobis eſt, quia intueri non decet, quod non licet concupiſci.

Neque Eva lignum vetitum contigiſſet, niſi hoc prius incaute conſpiceret.

Mater viventium per oculos ad mortem venit.

Nobis ad cuſtodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque ſenſuum diſciplina ſervanda eſt.

Una virtus ſine alia, vel nulla eſt, vel minima. *cap. 3.*

Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulſat; ſed cum hanc ſibi per delectationem ſubjugat.

Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Humana tentatio eſt, qua plerumque in turpi cogitatione tangimur etiam nolentes: quia ut nonnunquam & illicita ad animum veniant, hoc utique in nobiſmetipſis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam vero dæmoniaca eſt, & non humana tentatio, cum ad hoc quod carnis corruptibilitas ſuggerit, per conſenſum ſe animus aſtringit. *1. Cor. 10*

Peccatum in carne corruptibili non regnare poteſt, ſed non eſſe non poteſt.

Feſtina conſolatio bonorum, eſt conſideratus finis malorum. *cap. 4.*

Vituli, qui mactandi ſunt, in liberis paſtibus relinquuntur.

Vitulus ad laboris uſum vitæ deputatus, ſub jugo retinetur.

Negantur electis in hac vita bona terrena: quia & ægris, quibus ſpes vivendi eſt, nequaquam à medico cuncta, quæ appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona, quæ in hac vita appetunt: quia & deſperatis ægris omne quod deſiderant, non negatur.

Perpendant juſti quæ ſint mala, quæ iniquos manent, & nequaquam eorum felicitati invideant, quæ percurrit.

cap. 6. Sicut ſæpe tentatio per oculos trahitur, ſic nonnunquam concepta intrinſecus, compellit ſibi extrinſecus oculos deſervire.

Plerumque res quælibet innocenti mente reſpicitur, ſed ipſo conſpectu animus concupiſcentiæ gladio confoditur. Non enim David uriæ conjugem ideo ſtudioſe reſpexit, quia concupierat: ſed potius ideo concupivit, quia incaute reſpexit.

Fit rectæ retributionis examine, ut qui exteriori negligenter

utitur oculo, interiori non injuſte c æcetur.

Sæpe intrinſecus concupiſcentia dominatur, & illecebratus animus ad uſus ſuos ſenſus corporeos famulari more tyrannidis exigit, ſuiſque voluptatibus oculos ſervire compellit.

Plerumque hoc, quod faciendo non perpendimus, quàm grave ſit patiendo penſamus. cap. 9.

Hoc inter peccatum diſtat & crimen, quod omne crimen peccatum eſt, non tamen omne peccatum crimen eſt. Et in hac vita multi ſine crimine, nullus vero eſſe ſine peccatis valet.

Solent nonnullos ad humilitatem vitia ſternere, atque ad tumorem mentis virtutes elevare.

Qui venturum judicem cogitat, cap. 10. indeſinenter quotidie rationum ſuarum in * melius cauſas parat. * Al. meritis.

Quia eo quiſque extollitur, quo ſe eſſe ſuper alios videt, illum oportet qui ſuper ſe eſt, ſemper aſpiciat, ut ejus metu qui ſupra

omnia eſt, creſcentem intrinſecus animi tumorem premat.

Potentibus viris magna eſt intus humilitatis conſiderata æqualitas conditionis.

Sancti viri cum præſunt, non in ſe poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem conditionis attendunt, nec præeſſe gaudent hominibus, ſed prodeſſe.

Homo animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus, natura prælatus eſt.

Contra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri.

Plerumque à ſubditis etiam ſancti viri timeri appetunt; ſed quando ab eiſdem ſubditis Deum minime timeri deprehendunt, ut humana ſaltem formidine peccare metuunt, qui divina judicia non formidant. Nequaquam ergo præpoſiti ex hoc quæſito timore ſuperbiunt, in quo non ſuam gloriam, ſed ſubditorum juſtitiam quærunt. Dum vero deeſt vitium, quod corrigatur, non de excellen-

tia poteſtatis, ſed de æqualitate conditionis gaudent, & non ſolum ab eis metui, ſed etiam pluſquam neceſſe eſt honorari refugiunt. Neque enim leve ſe perpeti damnum humilitatis credunt, ſi ab eis pro merito fortaſſe ordinis pluris æſtimentur. Hinc eſt quod primus Paſtor Eccleſiæ, cum adorante ſe Cornelio ſuper ſe ſibi honorem videret oblatum, ad æqualitatem conditionis ſuæ citius recurrit, dicens: *Surge, & ipſe ego homo ſum.* Hinc à Joanne Angelus adoratus creaturam ſe eſſe cognovit, dicens: *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.* *Actor. 18.* *Apocalyp. 19. 12.*

Erga indigentiam proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem: ut cum indigentem rebus neceſſarijs naturæ tuæ conſortem videris, nec per impietatem deſinas tegere, nec per ſuperbiam negligas venerari quem tegis. *cap. 14.*

Sunt nonnulli, qui mox, ut ab

egenis fratribus fuerint neceſſaria postulati, poſt dona largituri, in eos prius contumelioſa verba jaculantur. Qui etſi rebus miniſterium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt, ita ut plerumque videatur, quia illatæ jam injuriæ ſatisfactionem ſolvunt, cum poſt contumelias dona largiuntur. Nec magni eſt operis quod poſtulata tribuunt, quia ipſo donationis ſuæ munere eumdem exceſſum ſermonis tegunt. Quibus bene per Eccleſiaſticum librum dicitur: *Omni dato non des triſtitiam verbi mali.* At contra, alij egenos fratres non ſtudent rebus fulcire, ſed blandis tantum ſermonibus fovere. Quos vehementer Jacobi prædicatio ſancta reprehendit, dicens: *Si autem frater aut ſoror nudi ſunt, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid vobis proderit?*

Quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus: & qui abundantes aſpicimur, ſi largiri negligimus, quandoque inopes erimus.

Dives ex eo quod pauperi tribuit, agit ut in perpetuum pauper non ſit.

Neceſſe eſt ut cum naturæ noſtræ conſortes exteriora non habere conſpicimus, quàm multa nobis deſint bona interiora penſemus.

Tanto nos verius, quanto & interius indigentes ſumus.

Plerumque humana mens renuit bona credere, quæ neſcit operari. *cap. 15.*

Unaquæque virtus tanto minor eſt, quanto deſunt cæteræ. Nec caſtitas in ejus corde vera eſt, cui humilitas deeſt. Nec humilitas vera eſt, cui miſericordia juncta non eſt. Nec miſericordia vera eſt, quæ à rectitudine juſtitiæ exiſtit aliena. Nec juſtitia vera eſt quæ fiduciam ſuam non in Conditore *l.22.c.1.*

omnium, ſed in ſe fortaſſe, aut in rebus conditis ponit.

Una virtus ſine alijs aut omnino nulla eſt, aut imperfecta.

cap. 2. Stante in perpetuum Deo, tranſeunt omnia.

Sancti viri in hujus peregrinationis ærumna, quoniam eam, quam appetunt, adhuc Creatoris ſui ſpeciem contemplari minime ſinuntur, omnem præſentis vitæ copiam, inopiam deputant.

Nil extra Deum ſufficit menti, quæ veraciter Deum quærit.

cap. 3. Electi tanto ſe amplius peccatores ſentiunt, quanto ex neglectis bonis quæ agere poterant, debitores tenentur.

Nunquam Deus mentem deſerit, quæ in peccatis ſe veraciter agnoſcit.

Stultus eſt debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit, & tempus, quod reddere debeat, non attendit.

cap. 5. Sunt nonnulli qui cum bona aliqua faciunt, iniquitatum ſua-

rum protinus obliviſcuntur, & cordis oculum in conſideratione bonorum operum quæ exhibent, figunt: atque eo ſe jam ſanctos exiſtimant, quo inter bona quæ agunt, malorum ſuorum, in quibus & fortaſſe adhuc implicati ſunt, memoriam declinat.

Neque abſolutus eſt debitor, qui multa reddit, ſed qui omnia.

More viatorum nequaquam debemus aſpicere quantum jam iter peregimus, ſed quantum ſupereſt ut peragamus.

Amplius debemus inſpicere quæ bona necdum fecimus, quàm ea quæ jam nos feciſſe gaudemus, memoriam declinat.

Habet hoc humana infirmitas proprium, ut plus ei intueri libeat, quod ſibi in ſe placet, quam quod ſibi in ſe diſplicet.

Plerumque *electorum* cordi ſuggeritur, ut bona quæque, quæ fecerunt, ad animum revocent, & ſecuritatis jam lætitia exultent.

Sed ſi vere electi ſunt, ab eo in quo ſibi placent, mentis oculos divertunt, omnem in ſe de peractis bonis lætitiam deprimunt, & de his, quæ ſe minus egiſſe intelligunt, triſtitiam requirunt, indignos ſe æſtimant, & pene ſoli bona ſua non vident, quæ in ſe videnda omnibus ad exemplum præbent.

Infirmæ mentes cum bona de alijs audiunt, aliquando ſe ad operationem rectam non amore virtutis, ſed delectatione laudis accendunt.

Ad vitam bonam alios pro amore Dei affectus recti operis, alios vero amor laudis inflammat.

Sunt nonnulli, qui eo in elationem corruunt, quo per ſubtilem intelligentiam vel quæ non faciunt bona cognoſcunt.

Quo arbor altius ad ſuperiora ſurrexerit, eo ventorum vim vehementius ſentit.

Arbor ſæpe, quæ unius venti impulſu ita impellitur, ut pene

pene jam erui poſſe videatur, alterius è diverſo venientis flatu erigitur.

Nonnunquam etiam ſancti viri de bona ſua opinione gaudent: ſed cum per hanc ad meliora proficere audientes penſant, nec jam de opinione ſua, ſed de proximorum gaudent utilitate.

Cum audientium utilitati non proficit, mentem noſtram fama laudabilis non elevet, ſed fatiget.

Superba mens, etiam cum de ſe falſa bona dicuntur, exultat: quia non apud Deum qualiter vivat, ſed apud homines qualiter innoteſcat, excogitat.

Si cor veraciter humile eſt, bona quæ de ſe audit, aut minime recognoſcit, & quia falſa dicuntur, metuit: aut certe ſi adeſſe ea ſibi veraciter ſcit, eo ipſo formidat, ne ab æterna Dei retributione ſint perdita, quo hæc conſiderat hominibus divulgata: pavetque vehementer ne ſpes futuri mune-

ris in mercedem permutetur tranſitorij favoris.

Plerumque fit, ut ſicut injuſtus ex laude ſua polluitur, ita vir juſtus, audita ſua laude purgetur. Nam dum bona, quæ egit, ab hominibus proferri cognoſcit, ſubtile contra ſe extremi judicij examen metuit, ac trepidus ad conſcientiam recurrit, & quicquid illic ineſt reprehenſibile, corrigit.

Aurum ſi reprobum eſt, igne conſumitur: ſi probum vero, igne declaratur.

Fit ut eo gravius peccator pereat, quo & ipſum hoc, quia eſt peccator, ignorat.

cap. 6. Sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, ſeque hunc diligere æſtimat, ſi ejus vitæ contrarius non exiſtat. Sed dilectionis vim occulte & veraciter aut profectus inimici, aut caſus interrogat. Hac enim de re ad plenum ſemetipſam mens hominis neſcit, niſi eum, quem ſibi adverſarium credit, in defectu

vel profectu mutaſſe modum ſui ſtatus invenerit.

Evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria ſine invidiæ culpa contriſtet: cum & ruente eo, quoſdam bene erigi credimus: & proficiente illo, pleroſque injuſte opprimi formidamus.

Dilectio ſi cor noſtrum veraciter replet, duobus modis oſtendi ſolet: ſcilicet, ſi & amicos in Deo, & inimicos diligimus propter Deum.

Oportet ut pereunte adverſario ſubtiliter penſare debeamus, & quid debemus ruinæ peccatoris, & quid juſtitiæ ferientis. Nam cum perverſum quemque omnipotens percutit, & condolendum eſt miſeriæ pereuntis, & congaudendum juſtitiæ judicis: ut nobis & in luctu ſit pœna morientis proximi, & rurſus in gaudium veniat exhibita æquitas judicantis Dei, quatenus nec per-

eunti homini exiſtamus adverſarij, nec judicanti Deo ingrati.

cap. 7. Minor eſt virtus certaminis foris quempiam videre mala, quæ ſuperet, & intus quod toleret non habere.

Perfectæ magnitudinis laus eſt adverſa perpeti, & exterius fortiter, & interius clementer.

Sunt nonnulla quæ in ipſa quoque familiarium converſatione, corrigi nequeunt ſine culpa corrigentis: atque ideo cum vel corrigentem inquinant, vel omnimodo hæc agentem gravant, magna magiſterij arte diſſimulanda ſunt, ipſaque hæc diſſimulatione toleranda.

Dum penſamus quales erga alios fuimus, eſſe circa nos tales alios minus dolemus: quia aliena injuſtitia in nobis vindicat, quod in ſe juſte noſtra conſcientia accuſat.

cap. 8. Ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur.

Mundari debet prius animus, qui eleemoſynam præbet, quia omne quod datur Deo, ex dantis mente penſatur.

Iram judicis placare neſcit oblatio, niſi ex munditia placeat offerentis.

Non Abel ex muneribus, ſed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namque ad eum legitur Dominus reſpexiſſe qui dabat, quàm ad illa quæ dabat.

Hæc ſunt veræ humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire. *cap. 9.*

Multos novimus, qui arguente nullo, peccatores ſe eſſe confitentur: cum vero de culpa ſua fuerint fortaſſe correpti defenſionis patrocinium quærunt, ne peccatores eſſe videantur. Qui ſi tunc cum id ſponte dicunt, peccatores ſe eſſe veraci humilitate cognoſcerent, cum arguuntur ab alijs, eſſe ſe quod confeſſi fuerant non negarent. *cap. 10.*

Non magis ſe peccator, ſed juſtus videri appetit, cum peccatorem ſe quiſque, nullo arguente confitetur: ſed confeſſionis veritatem probat, cum alter malum, quod fecimus, increpat.

Superbiæ vitium eſt ut quod deſe fateri quiſque quaſi ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab alijs dedignetur.

Per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris eſt certaminis commiſſa peccata prodere, quàm non admiſſa vitare: & unumquodque malum quamvis robuſtius videtur, tamen humilius proditur.

Magna eſt ſecuritas cordis, nil concupiſcentiæ habere ſæcularis. Nam ſi ad terrena adipiſcenda cor inhiat, ſecurum tranquillumve eſſe nullatenus poteſt: quia aut non habita concupiſcit ut habeat, aut adepta metuit ne amittat: & dum in adverſis ſperat proſpera, in proſperis formidat adverſa, huc illucque quaſi quibuſdam flucti-

bus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate verſatur. Sin vero ſemel in appetitione ſupernæ patriæ forti ſtabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur.

Quoties auditores noſtri noſtra volunt quaſi laudanda cognoſcere, non autem ſua perverſa mutare, omnino taceamus: ne ſi oſtentationis ſtudio verbum Dei loquimur, & illorum culpa quæ erat, eſſe non deſinat, & noſtra quæ non erat, fiat. *cap. 12.*

Adulterari verbum Dei eſt aut aliter de illo ſentire, quàm eſt, aut ex eo non ſpiritales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ.

Ex Deo loquitur, qui ſcit non à ſe habere, ſed ex Deo recepiſſe quod dicit: Coram Deo loquitur, qui in omni quod dicit, non humanos favores appetit, ſed omnipotentis Dei præſentiæ intendit, non ſuam, ſed auctoris gloriam *Ex D coram Deo in Chriſto loquimur. 2. Cor. 2*

requirit. Qui autem ſcit quidem ex Deo ſe accepiſſe quod dicit, & tamen dicendo propriam gloriam quærit, ſicut ex Deo loquitur, ſed non coram Deo: quia eum, quem cordi ſuo non proponit, cum prædicat, quaſi abſentem putat.

Sancti viri & ex Deo loquuntur, & coram Deo: quia ab eo ſe ſciunt habere quod dicunt, & ipſum ſuis ſermonibus adeſſe judicem adjutoremque conſiderat.

cap. 13. Vera poſtulatio non in oris eſt vocibus, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud ſecretiſſimas aures Dei non faciunt verba noſtra, ſed deſideria. Æternam vitam ſi ore petimus, nec tamen corde deſideramus, clamantes tacemus. Si vero deſideramus ex corde, etiam cum ore conticeſcimus, tacentes clamamus.

Quotidie conſpicimus, quod magiſtri pueris elementa litterarum blandientes imponunt, ſed hæc ab eis ſævientes exigunt: &

quæ

quæ dant cum manſuetudine, cum verbere requirunt.

Blanda nunc ſonant eloquij divini mandata, ſed erunt aſpera in exactione ſentienda.

Nemo infima deſerens repente fit ſummus. cap. 14.

Quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata deſuper menſura proficimus, quanto in nobis quotidie de Dei Spiritu virtus creſcit, tanto noſter ſpiritus deficit.

Tunc in Deo plene proficimus, cum à nobis ipſis funditus defecerimus.

Officium prædicationis ſuſcipimus, ſed alimenta Eccleſiaſtica muti manducamus. Exigimus quod noſtro debetur corpori, ſed non impendimus quod ſubjectorum debemus cordi. cap. 16.

Pia paſtorum mens, quia non propriam gloriam, ſed auctoris quærit, ab omnibus vult adjuvari quod agit.

Fidelis prædicator optat, ſi fieri valeat, ut veritatem, quam ſolus

loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonent.

l.23.c.1. Omne quod dicitur, quadripartita poteſt qualitate diſtingui: ſi aut mala male, aut bona bene, aut mala bene, aut bona male dicantur. Male malum dicitur, cum res perverſa ſuadetur. Bonum bene dicitur, cum recte recta prædicantur. Malum bene dicitur, quando per os dicentis idcirco vitium exprimitur, ut reprobetur. Male bonum dicitur, cum rectum aliquid recto ſtudio non profertur.

cap. 4. Quatuor ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur, cum bonum aut à ſemetipſis habere ſe æſtimant: aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant: aut cum jactant ſe habere quod non habent: aut deſpectis cæteris ſingulariter videri appetunt habere quod habent.

cap. 5. Sæpe nonnulla vitia virtutes ſe eſſe mentiuntur, ſicut effuſio non-

nunquam miſericordia, & tenacia nonnumquam parcimonia, & crudelitas aliquando juſtitia vult videri.

Plerumque mentem ad loquendi impetum vanæ gloriæ anxietas nequaquam ſe intra ſilentium capiens, quaſi zelus charitatis inflammat, atque appetitæ oſtenſionis vis ad effrænationem locutionis impellit, & quaſi ſub ſtudio conſulendi libido erumpit apparendi. Non enim curat loquendo, quid proſit, ſed quid appareat: nec ſtudet ut malum quod cernit, corrigat, ſed bonum quod ſentit, oſtendat.

Hoc quod diſcipulo Paulus ait: *cap 7. 1. Timot. 4.* *Præcipe hæc & doce cum omni imperio*, non dominationem potentiæ, ſed autoritatem ſuadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur, quàm dicatur. Nam doctrinæ ſubſtrahit fiduciam, quando conſcientia præpedit linguam.

Conſideremus, quia aut tales

ſumus, quales nonnullos, corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etſi jam divina gratia operante non ſumus, ut tanto temperantius humili corde corrigamus, quanto noſmetipſos verius in his, quos emendamus, agnoſcimus. Si autem tales, nec ſumus, nec fuimus, quales adhuc illi ſunt, quos emendare curamus, ne cor noſtrum forte ſuperbiat, & de ipſa innocentia pejus ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos, revocemus. Quæ ſi omnino nulla ſunt, ad occulta Dei judicia recurramus, quia ſicut nos meritis nullis hoc ipſum bonum quod habemus, accepimus: ita illos quoque poteſt gratia ſupernæ virtutis infundere, ut excitati poſterius etiam ipſa poſſint bona, quæ nos ante recipimus, prævenire.

Magnæ virtutis laus eſt ſimplicitas locutionis.

cap. 9. Habent hoc etiam arrogantes proprium, quod prius quàm dicant, mira ſe dicere ſemper exiſti-

mant, & locutionem ſuam admirando prævenîant, quia vel in acutis ſenſibus ipſa elatio, quanta ſit fatuitas ignoratur.

Habent hoc arrogantes proprium, ut plus arguere appetant, quàm conſolari, quæque hominibus evenire cognoſcunt, ex ſolis eveniſſe iniquitatibus arbitrentur. *cap. 10.*

Vera ſcientia afficit, non extollit, nec ſuperbientes, quos repleverit, ſed lamentantes facit.

Deus ſingulorum cordibus privatis vocibus non reſpondet, ſed tale eloquium conſtruit, per quod cunctorum quæſtionibus ſatisfacit. *cap. 11.*

Neque quis præſentis vitæ mala ſicut ſunt, conſpicere prævalet, ſi bona æternæ patriæ per contemplationis guſtum contingere necdum valet. *cap. 13.*

Via eſt vita præſens, qua ad patriam tendimus: & idcirco hîc occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent etenim nonnulli viatores cum amœna fortaſſe *cap. 15.*

in itinere prata conſpiciunt, pergendi moras innectere, & à cæpti itineris rectitudine declinare, eorumque greſſus tardat pulchritudo itineris, dum delectat.

Electis ſuis ad ſe pergentibus Dominus hujus mundi iter aſperum facit, ne dum quiſque vitæ præſentis requie, quaſi amœnitate viæ paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citius pervenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliviſcatur, quod deſiderabat in patria.

cap. 17. In ſcriptura ſacra panis aliquando ipſe Dominus, aliquando ſpiritalis gratia, aliquando divinæ doctrinæ eruditio, aliquando hæreticorum prædicatio, aliquando ſubſidium vitæ præſentis, aliquando jucunditas humanæ delectationis accipitur.

Idcirco moderamine occultæ diſpenſationis tentari permittimur, ut qui ex divino munere in virtute proficimus, etiam quid ſumus ex propria infirmitate memoremur:

& qui ex perceptione muneris opera virtutis inferimus, ex infirmitatis noſtræ memoria ſacrificium humilitatis offeramus.

Cum tentamur vitijs, pia diſpenſatione nobiſcum agitur, ne his virtutibus, quibus proficimus, extollamur.

Vitia dum nos tentant, proficientes in nos virtutes humiliant: flagella dum tentant, ſurgentes in corde ejus mundi voluptates eradicant.

Sive in laboribus flagellorum, ſeu in certamine vitiorum, non ſolum nobis noſtra infirmitas innoteſcit, ſed etiam in quanta virtute profecerimus agnoſcimus.

Nemo vires ſuas in pace cognoſcit. cap. 11.

Si bella deſunt, virtutum experimenta non prodeunt.

Improvidus miles eſt, qui fortem ſe in pace gloriatur.

Sæpe virium merita per flagellorum adverſa pateſiunt.

Nemo quantum profecerit, niſi

inter adverſa cognoſcit.

In ipſa adverſitate tentationis non ſolum detegitur robur fortitudinis, ſed etiam cognoſcitur infirmitas humanitatis.

Conditoris noſtri protectio, plerumque utiliter ſubſtrahitur, ut ſibi metipſi homo quàm ſine illa nihil ſit, oſtendatur.

Manus Dei aliquando nos nobis per adverſa inſinuat, quæ etiam neſcientes nos in proſperis portat. Qua deſtituti, dum cadere incipimus, & tamen adjuti retinemur, & doctrina fit quod in lapſu trepidamus, & cuſtodia quod in ſtatu permanemus.

lib. 24. cap. 5. Aliter quiſque compungitur, cum interna intuens, malorum ſuorum pavore terretur: aliter vero compungitur, cum gaudia ſuperna conſpiciens, ſpe quadam & ſecuritate roboratur.

Unuſquiſque quanto amplius cæleſtia contemplatur, tanto magis à terrena operatione corrigitur.

Quod in Paradiſo egit, hoc quotidie antiquus hoſtis agere non deſiſtit. Verba quippe Dei de cordibus hominum molitur evellere, atque in eis ficta promiſſionis ſuæ blandimenta radicare: quotidie hoc quod Deus minatur levigat, & ad hoc credendum, quod falſum promittit, invitat. Falſo enim pollicetur temporalia, ut mentibus hominum ea ſupplicia leviget, quæ Deus minatur æterna.

Nemo fortitudinem ſuam, niſi cum rectus eſſe cæperit, deprehendit. *cap. 6.*

Qui pleniſſime intelligere appetit qualis eſt, tales nimirum debet conſpicere, qualis non eſt: ut ex bonorum forma metiatur, quanto ipſe deſerto bono deformis eſt.

Juſtorum debemus vitam conſpicere, ut ſubtiliter deprehendamus noſtram.

Tamdiu refici juſtorum exemplis indigemus, donec præſentis mortalitatis umbra, æterno die aſpirante, tranſeamus.

Quid eſt hoc, quod iſte eo bono indiget, quo alius pollet : & ille cum multis polleat, aliunde alijs bonum adeſſe conſiderat, quod ſibi deeſſe ſuſpirat ? Niſi quod mira nobiſcum diſpenſatione agitur, ut per hoc quod alter habet, & iſte non habet, unus altero melior oſtendatur, quatenus tanto ardentius ad humilitatem quiſque proficiat, quanto ex bonis, quæ non habet, inferiorem ſe habentibus penſat. Sicque fit, ut dum ille in iſto, atque hic in illo reſpicit, quod admiretur, diſtincta bona & ab altitudine elationis reprimant, & ad ſtudium profectus accendant. Magna namque ſollicitudine ad curam noſtræ meliorationis accingimur, quando id virtutis in alijs cernimus, quod non habemus.

Sancti viri virtutum conſideratione viciſſim ſibi alios præferunt.

Unuſquiſque in flagello poſitus, minus adhuc peccata ſua conſiderat, ſi vel tantum, vel amplius

ſe percuſſum, quàm merebatur, exiſtimat.

Hoc quod patitur diſtrictum eſſe non ſentit, qui diſtricte novit penſare quod fecit.

Valde facile eſt, ut peccatorem ſe quiſque, cum nihil pro peccato ſuo patitur, fateatur.

Secure iniquos nos dicimus; cum vindictam nullam de iniquitate ſentimus.

Peccatores nos quidem in tranquillitate loquimur, ſed cum de peccatis flagello interveniente corripimur, murmuramus.

Pœna nos interrogat, ſi veraciter cognoſcimus culpam.

Ne converſus quiſque jam ſanctum ſe eſſe credat, & quem mœroris pugna ſuperare non valuit, ne ipſa poſtmodum ſecuritas ſternat, diſpenſante Deo permittitur, ut poſt converſionem ſuam tentationum ſtimulis fatigetur.

Jam quidem per converſionem rubrum mare tranſitum eſt, ſed adhuc in eremo vitæ præſentis

ante faciem hoſtes occurrunt. Jam peccata præterita velut extinctos Ægyptios poſt terga relinquimus, ſed adhuc nocentia vitia, quaſi alij hoſtes obviant, ut ad terram promiſſionis pergentibus cæptum iter intercludant.

Converſio ſecuritatem parit, mater autem negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas. Ne ergo ſecuritas negligentiam generet, ſcriptum eſt: Ecleſ. 2 *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

Hoſtis noſter adhuc in hac vita nos poſitos, quanto magis nos ſibi rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulſare negligit, quos quieto jure poſſidere ſe ſentit.

Hoc in ſeipſo Dominus ſub quadam diſpenſatione figuravit, qui Diabolum non niſi poſt baptiſma ſe tentare permiſit, ut ſignum nobis quoddam futuræ converſionis innueret, quod membra ejus poſtquam ad Deum profice-

rent, tunc acriores tentationum inſidias tolerarent.

Quiſque in ipſo converſionis initio magna plerumque dulcedine conſolationis excipitur, ſed durum laborem poſtmodum experitur probationis.

Tres modi ſunt converſorum, inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione inveniunt blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamen tentationis, ad extremum vero perfectionem plenitudinis. Prius ergo illos dulcia ſuſcipiunt, quæ conſolentur, poſtmodum amara, quæ exerceant, & tunc demum ſuavia atque ſublimia quæ confirment. Unde & plebs Iſraelitica cum deſpondente ſe Deo ad ſacras mortis nuptias ex Ægypto vocaretur; quaſi arrarum vice prius accepit blandimenta ſignorum: conjuncta autem probationibus exercetur in eremo, probata vero in promiſſionis jura virtutis plenitudine confirmatur. Ante in miraculis deguſtavit

quod appeteret, poſtmodum in labore tentata eſt ſi cuſtodire noverit quod guſtaſſet : Ad extremum quoque plenius accipere meruit, quod laboribus probata cuſtodivit.

Vitam uniuſcujuſque converſi & inchoatio blanda permulcet, & aſpera medietas probat, & plena poſt perfectio roborat.

Ex Ægypto exeuntibus è vicino bella ſubſtrahuntur : quia derelinquentibus ſæculum quædam prius tranquillitas oſtenditur, ne in ipſa ſua teneritudine atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant quod evaſerunt. Prius ergo ſuavitatem ſecuritatis ſentiunt, prius pacis quiete nutriuntur : poſt cognitam vero dulcedinem tanto jam tolerabilius tentationum certamina ſuſtinent, quanto in Deo altius cognovere, quod ament.

Petrus prius in montem ducitur; prius claritatem transfigurationis Dominicæ contemplatur, & tunc demum tentari ancilla interrogan-

te permittitur, ut per tentationem factus ſibi ex infirmitate conſcius, ad illud flendo & amando recurreret quod vidiſſet: & cum eum timoris unda in peccati pelagus raperet, eſſet prioris dulcedinis anchora quæ retineret.

Sæpe tam diutina ſunt tentationum certamina, quàm longa inchoationum blandimenta. Sæpe majus datur in inchoatione dulcedinis, minus autem in labore probationis. Sæpe minus in inchoatione dulcedinis, majus in labore probationis. Nunquam vero laborem tentationis diſpar ſequitur perfectio firmitatis, quia juxta ſummam certaminis remuneratur quiſque plenitudine perfectionis.

Plerumque in eo quiſque converſus labitur, quod dum quibuſdam donis gratiæ dulcedine inchoationis excipitur, confirmationem accepiſſe ſe perfectionis arbitratur, & plenitudinis confirmationem æſtimat, quod adhuc blandimenta eſſe inchoationis ignorat.

Unde fit ut dum ſubita tentationis procella tangitur, deſpectum ſe Deo & perditum ſuſpicetur.

Curſus noſtri itineris nequaquam peragitur ſine pulvere tentationis.

Plerumque converſus quiſque talibus tentationum ſtimulis agitatur, qualibus ante converſionis gratiam nunquam pulſatum ſe eſſe reminiſcitur: non quia tunc hæc eadem radix tentationis deerat, ſed quia non apparebat.

Carduus ſi naſcatur in via, itinerantium pedibus teritur, atque ipſo uſu tranſeuntium ejus ſuperficies ne appareat, confringitur. Sed quamvis deſuper fructificantes ſpinæ non appareant, ſubter tamen radix occulta perdurat. Si autem eum tranſeuntium pedes terere, & calcare ceſſaverint, mox in ſuperficiem ſurgendo progreditur, & per ſpinam prodit in publicum quicquid in radice vivebat occultum. Ita & in corde ſæcularium ſæpe occulta quædam

tentationum radix non facile apparet exurgere; quia velut in via actionum ſita, tranſeuntium teritur pede cogitationum, & per innumeras curas, quaſi multis itinerantibus premitur, ne videatur. *Si* autem per converſionis gratiam à via cordis curarum turba removetur, ut nulla actionum inſolentia conterat, nullus cogitationum tumultus premat, tunc quod occultum latebat agnoſcitur, tunc de radice vitiorum pungit libere ſpina tentationum. Contra quam bene viventis manu agitur, ut in quantum poteſt fieri, non tegatur occulta, ſed radicitus evellatur.

Plerumque ipſi tentationum ſtimuli dum in uſum veniunt, dilatantur, & non quidem acriores, ſed longiores exiſtunt. Minus autem dolent, ſed magis inficiunt: quia dum menti diutius adhærent, tanto fiunt minus pavendi, quanto magis aſſueti.

Facile eſt opera perverſa vitare, ſed nimis difficile eſt ab

illicita cogitatione cor tergere.

Humana anima ſemel æternitatis ſtatum deſerens ad fluxum temporalitatis delapſa, hanc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum caderet, volens appetijt, dum conatur ſurgere, cogitur invita tolerare. Inde quippe punita eſt, unde delectata; quia inde converſa habet laborem certaminis, unde perverſa appetijt gaudium voluptatis.

Sæpe electis etiam nolentibus in cogitatione ſurripitur, quod in ſe quidem ſolerter inſpiciunt, & ante Dei oculos quanti ſit reatus attendunt; & cum de his omnibus ſemper judicia diſtricta pertimeſcant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, dum ad ſolvendum humanæ conditionis debitum venientes, diſtricto judici appropinquare ſe cernunt. Et fit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior.

Creſcit pavor vicina retributione juſtitiæ, & urgenti ſolutione

carnis, quanto magis diſtrictum judicium jam jamque quaſi tangitur, tanto vehementius formidatur.

Neque tunc cujuſlibet anima immerito terretur, quando poſt puſillum hoc invenit, quod in æternum mutare non poſſit.

Nec hoc quidem ſine aliquo reatu noſtro eſt, quod laudabiliter geſſimus, ſi remota pietate judicemur.

Verba juſtorum ex radice veniunt humilitatis, ut fructum valeant ferre pietatis, & quicquid ſalubre potuerint, non tumendo ſed compatiendo ſubminiſtrant. Per verba quippe charitatis, vel ſe in auditoribus ſuis, vel auditores ſuos in ſe ita transformant, ac ſi & illi per iſtos hoc quod audiunt, doceant; & iſti per illos hoc, quod docendo proferunt, diſcant. *cap. 8.*

Juſti cum ſevere corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittunt. Nam ſæpe pro inquietu- *cap. 16.*

dine refrænanda pravorum duritiam diſtricti rigoris aſſumunt, ſed intus charitatis igne liqueſiunt, atque eorum amore ardent, in quos aſpera correptione ſæviunt; ſeque etiam eis intrinſecus in ſecreto cordis humiliant, quos duris foris animadverſionum ſtimulis, quaſi deſpiciendo caſtigant.

cap. 11. Curvum cor eſt, cum ima appetit; dirigitur, cum ad ſuperna ſublevatur.

cap. 12. Quanto incipit quiſque ſuperius vivere, tanto & inchoat inferius interire.

cap. 13. Habent hoc proprium omnes arrogantes, ut cum fortaſſe acutum aliquid ſentiunt, inde mox ad vitium elationis erumpant, ſenſuſque omnium in ſui comparatione deſpiciant, ſeque in ſuo judicio aliorum meritis antepo- nant. Quibus contingit miſeris, ut plus videndo tenebreſcant; quia dum ſubtilia attendunt, ſemetipſos intueri neſciunt, & quo intelligentiam auctius percipiunt,

eo per ſuperbiam deterius cadunt.

Vitium ſuperbiæ ab ipſa mox radice ſecandum eſt, ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abſcindatur, ne profectu vigeat, ne uſu roboretur. Difficile enim in ſe quiſque inveteratam ſuperbiam deprehendit, quia nimirum hoc vitium, quanto magis patimur, tanto minus videmus.

In omni quod dicitur, ſummopere intuendum eſt, quid dicatur, cui dicatur, quando dicatur, quomodo dicatur.

Plerique, qui præſunt, inordinatum ſibi metum à ſubditis exigunt, & non tam propter Dominum, quam pro Domino venerari volunt. *cap. 14.*

Unuſquiſque ſuperbus rector toties ad culpam apoſtaſiæ dilabitur, quoties præeſſe hominibus delectatus, honoris ſui ſingularitate lætatur. Sub quo enim ſit non conſiderat, & quod æqualibus quaſi non ſit æqualis exultat.

Neceſſe eſt ut is qui præeſt,

quæ exempla ſubditis præbeat, ſolerter attendat, & tantis ſe ſciat vivere, quantis præeſt, ac vigilanter inſpiciat, ne in eo quod prælatus eſt, intumeſcat: ne jura debitæ poteſtatis immoderatius exigat: ne diſciplinæ jus mutetur in rigorem ſuperbiæ: & unde à perverſitate ſubditos reſtringere poterat, inde magis intuentium corda pervertat, ne impietatis dux per officium pietatis exiſtat.

Non debet hominum ducatum ſuſcipere, qui neſcit homines bene vivendo præire: ne qui adhoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod reſecare debuit ipſe committat.

Inde ſe, qui præſunt, circunſpiciant, ut ſibi & ſubditis vivant: ut bonum quod faciunt, & intra ſinum mentis abſcondant, & tamen ex eo ad profectum ſequentium exempla rectæ operationis impertiant: ut ſubditorum animadvertentes culpas corrigant, nec tamen per vim ejuſdem animadverſionis

intumeſcant; ut quædam leniter correpta tolerent, nec tamen diſciplinæ vincula eadem lenitate diſſolvant: ut quædam tolerando diſſimulent, nec tamen ea creſcere diſſimulando permittant. Laborioſa ſunt iſta, & niſi divina gratia fulciat, ad cuſtodiendum difficilia.

Plerumque per poteſtatem regiminis ad culpam prorumpitur elationis.

Penſet, qui ad ſatisfaciendum diſtricto judici de ſua tantummodo anima fortaſſe vix ſufficit, quia quot regendis ſubditis præeſt, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot ſolus animas habet. Quæ cogitatio, ſi aſſidue mentem excoquit, omnem ſuperbiæ tumorem premit. *cap. 16.*

Numerari culpæ nequeunt, quæ habendæ poteſtatis amore perpetrantur.

Tunc ſolum poteſtas bene regitur, cum non amando, ſed timendo retinetur. Quæ ut miniſtrari recte valeat, oportet primum ut

hanc non cupiditas, ſed neceſſitas imponat.

Poteſtas cum percipitur, non ex libidine amanda eſt, ſed ex longanimitate toleranda, ut inde tunc ad judicium ſalubriter levis ſit, unde nunc ad miniſterium patienter gravis innoteſcit.

l. 25. c. 2. Quamlibet ſero de hac vita tollantur iniqui, ſubito & repente tolluntur, qui finem ſuum cogitando prævidere neſciunt: ſubitum eſt homini, quod ante cogitare non potuit.

Hoc ipſum morituros vivere, quaſi ad mortem ire eſt. Et quot dies peragimus, quaſi in itinere ad locum propoſitum tot paſſibus propinquamus. Ipſa quippe augmenta detrimenta ſunt temporum, quia vitæ noſtræ ſpatia quanta eſſe cæperint, incipiunt jam tanta non eſſe.

Ad ſummam moriendi quotidie tendimus per incrementa vivendi.

Subito tollitur, qui diu toleratur.

Sicut

Sicut agit mors interveniens non eſſe quod fuit in vita : ita interveniens agit oblivio non eſſe quod fuit in memoria. *cap. 4.*

Deus mala hominum nec cogitata ignorat, nec perpetrata obliviſcitur, niſi ab ejus oculis pœnitendo deleantur.

Omnis immutatio velut quædam mortis imitatio eſt. Id enim quod mutat, quaſi ab eo, quod erat, interficit, ut deſinat eſſe quod fuit, & incipiat eſſe quod non fuit.

Ad *judicium* venire non deſiderat, quiſquis ſe per illud damnari formidat. ** Illud. cap. 5.*

Debet uniuſcujuſque mens & cauſas ſuas apud Dominum, & cauſas Domini contra ſe ſollicita inquiſitione diſcutere : debet caute penſare vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius perverſe vivendo rependerit. Quod electi quotidie facere omnino non ceſſant. *cap. 6.*

Altare Dei eſt cor noſtrum in *cap. 7.*

Ignis in altari ſemper ardebit, &c. Levit. 6 quo jubetur ignis ſemper ardere: quia neceſſe eſt ex illo ad Dominum charitatis flammam indeſinenter accendere.

Æterna contemplatione agitur, ut omnipotens Deus quo magis viſus fuerit, eo amplius diligatur.

cap. 8. Interius fornicari, eſt exterius vetitis delectari.

cap. 9. Peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit: Unde fit ut non ſolum peccatum ſit, ſed peccatum & cauſa peccati. Ex illo quippe vitio culpa ſubſequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, ſed peccatum eſt & pœna peccati: quia juſto judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alijs cadat. Quem enim liberare noluit, deſerendo percuſſit.

Non immerito pœna peccati dicitur, quod juſta deſuper irrogata

cæcitate, ex præcedentis peccati ultione perpetratur.

Quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad uſum ſuæ iniquitatis intorquet, juſto Dei judicio augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altius quandoque cumuletur.

Latior eſt via quam ſemita.

Plerumque unum atque idem peccatum, & peccatum eſt & pœna & cauſa peccati.

Jam meretur ſupplicium peccatum & cauſa peccati: ſed expectatur adhuc ut augmentum ſupplicij ſubroget peccatum & pœna peccati.

Unum idemque peccatum eſt, & pœna præcedentis, & cauſa culpæ ſubſequentis: quia eſt tranſacta, dum exaggerat, damnat: & adhuc ſequentia, quæ damnari debeant, ſeminat.

Sciendum eſt quod peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut *cap. 15.*

ſtudio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate quàm ignorantia, ſed multo gravius ſtudio quàm infirmitate peccatur

Infirmitatis culpa vel ignorantiæ eo facilius tergitur, quo non ſtudio perpetratur.

Sæpe peccatum præcipitatione committitur, quod tamen conſilio & deliberatione damnatur.

Ex infirmitate plerumque ſolet accidere amare bonum, ſed implere non poſſe. Ex ſtudio vero peccare, eſt bonum nec facere, nec amare.

Sicut nonnunquam gravius eſt peccatum diligere, quàm perpetrare: ita nequius eſt odiſſe juſtitiam, quàm non feciſſe.

Sicut nonnulli in Eccleſia qui non ſolum bona non faciunt, ſed etiam perſequuntur: & quæ ipſi facere negligunt, etiam in alijs deteſtantur.

Neſcire ignorantia eſt; ſcire noluiſſe, ſuperbia.

Lumen intelligentiæ humilitas

aperit, ſuperbia abſcondit.

Conſilium ſummæ & occultæ virtutis, ſatisfactio ſit apertæ rationis. *cap. 13.*

Sic intenduntur divina judicia ſuper unam animam, ſicut ſuper unam urbem: ſic ſuper unam gentem ſicut ſuper univerſam generis humani multitudinem: quia & ſic intendit Dominus ſingulis, ac ſi vacet à cunctis: & ſic ſimul intendit omnibus, ac ſi vacet á ſingulis. Qui enim omnia adminiſtrando implet, implendo regit, nec univerſis deeſt, cum diſponit unum: nec uni deeſt, cum diſponit univerſos: cuncta ſcilicet naturæ ſuæ potentia quietus operatur

Certum eſt quod ita ſibi invicem & rectorum merita connectantur & plebium: ut ſæpe in culpa paſtorum deterior fiat vita plebium, & ſæpe ex plebium merito mutetur vita paſtorum. *cap. 14.*

Quia rectores habent judicem ſuum, magna cautela ſubditorum eſt non temere vitam judicare regentium.

Dum ſalva fide res agitur, virtutis eſt meritum, ſi quicquid prioris eſt, toleratur. Debet tamen humiliter ſuggeri, ſi fortaſſe valeat, quod diſplicet, emendari. Sed curandum ſummopere eſt, ne in ſuperbiam tranſeat juſtitiæ inordinata defenſio: ne dum rectitudo incaute diligitur, ipſa magiſtra rectitudinis humilitas amittatur, ne eum ſibi præeſſe quiſque deſpiciat, quem fortaſſe contingit, ut in aliqua actione reprehendat.

Omnes ſubditos hi, qui præſunt, minus quàm ipſi ſunt, ſapientes arbitrantur: & rurſum qui ſubjecti ſunt, rectorum ſuorum actiones judicant, & ſi ipſos regimen habere contingeret, ſe potuiſſe agere melius putant.

cap. 15. Hoc eſt ſolerter intuendum, ne aut quem venerari neceſſe eſt, imitari appetas: aut quem imitari deſpicis, venerari contemnas. Subtilis enim via tenenda eſt rectitudinis & humilitatis, ut ſic reprehenſibilia magiſtrorum facta diſ-

pliceant, quatenus ſubditorum mens à ſervanda magiſterij reverentia non recedat. Quod bene in Noë debriato exprimitur, cujus nuda verecunda boni filij averſi veniendo texerunt. Averſari quippe dicimur, quod reprobamus. Quid eſt ergo quod filij verecunda patri ſuperi ecto dorſis pallio averſi venientes operiunt, niſi quod bonis ſubditis ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, ut tamen hoc ab alijs occultent? Operimentum averſi deferunt, quia judicantes factum, & venerantes magiſterium, nolunt videre quod tegunt. *Geneſ.9*

Aliquando facere Dei, eſt id, quod fieri prohibet, iraſcendo permittere: Unde & Regis Ægypti cor ſe obdurare aſſeruit, quia videlicet obdurari permiſit. *Exod.3.*

Locus regiminis cum regendus offertur, in ſe prius neceſſe eſt, ut quiſque diſcutiat, ſi loco vita congruit, ſi ab honore actio non diſſentit: ne juſtus omnium rector eo

poſt in tribulatione preces non audiat, quo ipſa quoque ejus, de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat.

l.26.c.1. In locutionibus ſuis hoc arrogantes viri habere inter alia proprium ſolent, quod ab auditoribus ſuis, ne quid fortaſſe inordinatum dixerint, tunc requirunt, cum ſe laudabiliter aliquid dixiſſe cognoſcunt.

Ille vere eſt humilis in bonis, qui non eſt defenſor in malis.

Eſt propria arrogantium fraus, ut tunc de errore requirere ſtudeant, quando ſe noverint non erraſſe.

cap. 2. Recti viri, cum injuſte ab hominibus impetuntur, ad ſupernum judicium recurrunt. Et quia ei placere ſummopere cupiunt, ejus ſolius teſtimonium requirunt.

Piorum conſcientiæ grande ſibi conferri præmium credunt, cum de quibuſdam modo ſuis actionibus illicitis arguuntur. Proponunt enim ante oculos cordis, quia

diſtrictum Dei judicium tanto verius tunc ſuper eos mitigabitur, quanto nunc acrius arguente homine prævenitur: & temporalem iram ſuper ſe lucrum computant, per quam ſe æternam poſſe evadere non ignorant.

Eſſe culpabiliores ſolent hi, qui loqui in contentione inchoant, quàm qui reſpondent.

Incaute ſunt humiles, qui ſe mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant: immo mentiendo ſuperbiunt, quia contra veritatem ſe erigunt, quam relinquunt. Qui enim neceſſitate cogente vera de ſe bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto & veritati ſociatur. An Paulus humilis non fuit, quando æmulatione veritatis contra falſos Apoſtolos tot de ſe diſcipulis fortia geſta narravit? Qui nimirum veritati inimicus exiſteret; ſi abſcondendo virtutes proprias, prædicatores errorum prævalere permiſiſſet. *cap. 3.* *1. Ad Tim. 2. & Act. 20.*

Viri veraciter ſancti, cum fla- *cap. 4.*

gellari quempiam etiam pro culpa cognoſcunt, etſi quædam ejus inordinata corripiunt, ad quædam tamen dolentia compatiuntur, & ſic ſciunt tumentia premere, ut ſciant etiam cruenta refovere, quatenus in eis cum dura emolliuntur, infirma roborentur.

cap. 6. Pœna debetur culpæ, non præmium.

cap. 7. Humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant: divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

Apud homines cor ex verbis: apud Deum vero verba penſantur ex corde.

Arrogantes viri habere hoc proprium ſolent, ut dum in nimia invectione prodeunt, etiam invehendo mentiantur: & cum non poſſunt reprehendere juſte quæ ſunt, reprehendunt mentiendo quæ non ſunt.

cap. 8. Si vigilanter exteriora conſpicimus, per ipſa eadem ad inte-

riora revocamur. Veſtigia quippe Creatoris noſtri ſunt mira opera viſibilis creaturæ: ipſum namque adhuc videre non poſſumus, ſed jam ad ejus viſionem tendimus, ſi eum in his, quæ fecit, miramur.

Viæ ad Creatorem ſunt, opera conſiderata Creatoris.

Factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne, quod mirabiliter factum videtur: & quocumque ſe verterit anima, ſi vigilanter intendit, in iiſdem ipſis Deum invenit, per quæ reliquit, ejuſque potentiam ex eorum rurſus conſideratione cognoſcit, quorum amore deſeruit: & per quæ perverſe cecidit, per hæc converſa revocatur. Quia enim ab inviſibilibus per viſibilia cecidimus, dignum eſt ut ad inviſibilia ipſis rurſum viſibilibus innitamur, ut quo caſu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad ſumma, atque iiſdem, quibus corruit, paſſibus ſurgat.

Per omne quod cernimus, eſſe humiles admonemur.

Sparſis foris mentibus ad ſemetipſas redire difficile eſt: quia prava itinera ſemel captas tanto delectabiliter tenent, quanto in eis omne, quod libuerit, licet.

Clauſis oculis cordis eo anima præcipitatur in infimis, quo obſcuratur à ſummis, & tanto ſecurius mala temporalia perpetrat, quanto durius bona æterna deſperat.

Cap. 9. Reproborum nequitia, trituræ more electorum vitam, quaſi grana à paleis ſeparans, premit ut purget.

Mali bonos magis ab hujus mundi deſiderijs expediunt, dum affligunt: quia dum multa eis hîc violenta ingerunt, feſtinare illos ad ſuperna compellunt.

Hæc utique cauſa eſt, quod ab injuſtis juſti ſinuntur affligi, vt ſcilicet, dum futura audiunt bona quæ cupiunt, patiantur etiam mala præſentia quæ perhorreſcant, atque ad faciliorem exitum dum

amor provocat, cruciatus impellat.

Tunc Moyſes ad vocandum miſſus eſt cum jam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus : ut Iſraelitarum mentes Ægypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret, quaſi traheret, alius quaſi impelleret, dum ſæviret : & plebs in ſervitio turpiter fixa vel provocata bonis, vel malis impulſa moveretur.

Aliud eſt vitia ſuadere vivendo, aliud jubere terrendo. *cap. 10.*

Æternitatis præmia præſtolantes vires ex adverſitatibus ſumunt, quia creſcente pugna glorioſiorem ſibi non ambigunt manere victoriam.

Electorum deſideria, dum premuntur, adverſitate creſcunt : ſicut ignis flatu premitur, ut creſcat, & unde quaſi extingui cernitur, inde roboratur.

In eo oſtendimus quanta ad Dominum cupiditate flagramus, ſi non ſolum ad eum per tranquilla

& mollia, ſed etiam per aſpera & dura tranſimus.

Omnino non deſunt qui bona quærentibus ſuadere perverſa moliantur.

Tunc probatur deſiderium, cum aliqua ei adverſitate reſiſtitur.

Robuſti ex adverſitate proficiunt: ſed infirmi ſæpe in deſiderijs ſuis, ſi qua eis fuerint ex adverſo objecta, langueſcunt; & cum valida tribulatione pulſantur, puſillanimitate deficiunt.

cap. 11. Qui quod non erat fecit, factum ſine gubernatione non deſerit: & qui benigne hominem condidit, nequaquam injuſte cruciari permittit: nec ſinit neglecte perire quod eſt, qui hoc etiam quod non fuit, creavit ut eſſet.

Cum cauſam noſtræ tribulationis requirimus, & fortaſſe tardius invenimus, eſt iſta conſideratio quod nihil injuſte patiamur, quia ſi Deo auctore ſumus, qui non fuimus, Deo regente non affligimur injuſte, qui ſumus.

Quia ad æterna gaudia redire non poſſumus, niſi per temporalia detrimenta, tota ſacræ Scripturæ intentio eſt, ut ſpes manentis lætitiæ nos inter hæc tranſitoria adverſa corroboret. *cap. 12.*

Multis ſæpe ſuperbia luxuriæ ſeminarium fuit: quia dum eos ſpiritus quaſi in altum erexit, caro in infimis merſit. *cap. 13.*

Non ante oculos Dei vacuæ tranſuolant cogitationes noſtræ, & nulla momenta temporis per animum tranſeunt ſine ſtatu retributionis.

Intus prius extollitur, quod foris poſtmodum luxuriæ corruptione feriatur.

Occultam culpam ſequitur aperta percuſſio, ut malis exterioribus interiora puniantur, & cor publice corruat, quod latenter tumebat.

Per humilitatis cuſtodiam ſervanda eſt munditia caſtitatis. Si enim pie ſpiritus ſub Deo premitur, caro illicite ſuper ſpiritum non levatur.

Habet ſpiritus commiſſum ſibi dominium carnis, ſi tamen ſub Deo recognoſcit jura legitimæ ſervitutis. Nam ſi auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit, jure & à ſubjecta carne prælium ſuſcipit.

Plerumque virus libidinis de radice naſcitur elationis.

Longa continentia repente ſolvitur. Plerumque & uſque ad ſenium virginitas ſervata vitiatur.

Quia negligitur humilitas cordis, rectus iudex deſpicit etiam integritatem corporis.

Qui diu ſervatum bonum, ſubito perdidit, apud ſemetipſum intus aliud malum tenuit, ex quo ſubito erupit.

Mentis elatio ad pollutionem pertrahit carnis.

Mentes ſanctorum tranſitoria cuncta tranſcendunt & ſub ſe labi quicquid ſuperbit, quicquid præterit, contemplantur: & quaſi in quodam rerum vertice conſtitutæ tanto ſibi omnia ſubeſſe conſpiciunt, quanto ſemetipſas verius auctori

auctori omnium ſubdunt: atque inde cuncta tranſcendunt, unde Creatori cunctorum vera ſe humilitate ſubſternunt.

Sicut ſæpe Dominus ſuorum vitam temporaliter pro inimicorum converſione eripit; ita ſæpe ſuorum voces propter damnationem perſequentium non exaudit, ut videlicet inde reatum ſuum cumulent, unde prævaluiſſe ſe nequiter gaudent. Nam qui inviſibilia deſpiciunt, moveri nonnumquam viſibilibus miraculis poſſunt. Sed idcirco cum juſtis plerumque nil mirum viſibiliter agitur, quia eorum adverſarij illuminari viſibiliter non merentur. cap. 141

Reatus opprimentium, audiri voces prohibet oppreſſorum. Nec eripiuntur viſibiliter juſti, quia ſalvari inviſibiliter non merentur injuſti.

Quiſquis bonorum vitam perſequitur, tunc pejore ultione damnatur, cum nulla ei adverſitate reſiſtitur; & tunc fortioris iræ peri-

culis ſubjacet, cum proſpere peragit, quod nequiter concupiſcit: quia videlicet vindicta ſuperni judicij ad futurum eum ſupplicium reſervando deſeruit, cui hîc in malo obviare contempſit.

Manifeſtum perditionis indicium eſt, quando affectatis iniquitatibus ſubſequens favet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens perverſa concepit. Nam ſæpe pravorum hominum, dum tardantur vota, mutantur: & dum difficultatem perfectionis ſentiunt, reatum malæ actionis agnoſcunt: & quibus prius invitis contradicitur, volentes poſtmodum hoc, quod conceperant, averſantur.

Malos cum deſerit Dominus, prævalere permittit.

cap. 15. Nemo qui tardius auditur, credat quod à ſuperna cura negligatur. Sæpe enim noſtra deſideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur: & quod impleri concite petimus, ex ipſa melius tarditate proſperatur

Sæpe vox noſtra, eo perficitur, quo differtur: & cum ſuperficie tenus petitio negligitur, vota noſtra altius in cogitationum radice complentur: ſicut & ſemina meſſium gelu preſſa ſolidantur, & quo ad ſuperficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora convaleſcunt.

Deſideria noſtra dilatione extenduntur, ut proficiant: proficiunt, ut ad hoc, quod perceptura ſunt, convaleſcant: exercitantur in certamine, ut majoribus cumulentur præmijs in retributione: labor protrahitur pugnæ, ut creſcat corona victoriæ.

Suos Dominus cum velociter non exaudit, quo repellere creditur, trahit. Internus quippe eſt medicus, & peccatorum in nobis contagia, quæ ineſſe medullitus reprobat, ſecat, abſcindit virus putredinis ferro tribulationis, & quo voces ægri audire diſſimulat, eo ægritudinis finem procurat.

Inter adverſa fidenter expectes, *cap. 16.*

quem & poſt delicta propitium recolis.

Omnipotens Deus tempus ad miſericordiam tribuit, quod non converſis ad gravioris reatus teſtimonium vertit: patienter iram retinet, quam quandoque irretractabiliter effundit.

Cap. 17. Diu Deus tolerat, quia in perpetuum damnat: & furorem nunc inferre diſſimulat, quem effundendum ſine fine in poſterum ſervat.

Electorum eſt hîc conteri, ut ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri.

Noſtrum eſt hîc flagella percipere, quibus ſervatur de æternitate gaudere.

Peccata nequaquam divina ſeveritas inulta remanere permittit.

Hîc *Deus* nonnunquam ferire inchoat, quos æterna damnatione conſummat.

Quædam feriuntur, ut rectoris noſtri ſuper nos ſollicitudinem formidemus: quædam vero inulta ſervantur, ut adhuc judicium

reſtare ſentiamus.

Juſtis viris ſolet occaſio eſſe virtutum; elatio ſuperborum.

Qui ſua dicere ſemper volunt, aliena audire non poſſunt : vim ſe pati exiſtimant , ſi ea quæ immoderate ſentiunt, immoderatius non effundant.

Solent plerumque etiam juſti laudare bona quæ dicunt, non quo ipſi ſuis laudibus inhient , ſed quo auditores ſuos ad audiendi ſollicitudinem accendant. *cap. 18.*

Ante ſubtile veritatis examen ſecuri omnimode non ſumus , etiam ſi humano judicio, quod in nobis reprehendi debeat, non habemus.

In uſu vitæ mortalis quædam ex ſemetipſis ſunt noxia, quædam vero ex his quæ circa ipſa verſantur. *cap. 16.*

Dum tenetur quod non nocet, ex rebus juxta poſitis committitur plerumque quod nocet : ſicut ſæpe rectum mundumque iter pergimus , & tamen ortis juxta viam vepribus per veſtimenta retine-

mur. In via quidem munda non offendimus, ſed à latere naſcitur quo pungamur.

Apoſtatæ Angelo ſimilis efficitur, dum homo hominibus eſſe ſimilis dedignatur.

Saul ab humilitatis merito in tumorem ſuperbiæ, culmine poteſtatis excrevit.

Bona eſt ordine ſuo potentia, ſed cauta regentis indiget vita. Bene hanc exercet, qui & retinere illam noverit, & impugnare. Bene hanc exercet, qui ſcit per illam ſuper culpas erigi, & ſcit cum illa cæteris æqualitate componi.

Cum potentiæ temporalis miniſterium ſuſcipitur, ſumma cura vigilandum eſt, ut ſciat quiſque & ſumere ex ea quod adjuvat, & expugnare quod tentat: & æqualem ſe cum cæteris cernere, & tamen ſe peccantibus zelo ultionis præferre.

Petrus auctore Deo Eccleſiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio, & ſe ſe ei humiliter

proſternente immoderatius venerari recuſavit, séque illi ſimilem recognovit, dicens: *Surge ne feceris, & ego ipſe homo ſum.* *Act.* 10. Sed cum Ananiæ & Saphiræ culpam reperit, mox quanta ſuper cæteros potentia excreviſſet, oſtendit. Verbo enim eorum vitam perculit, quam ſpiritu perſcrutante deprehendit: & ſummum ſe intra Eccleſiam contra peccata recoluit, quod honore ſibi vehementer impenſo coram bene agentibus fratribus non cognovit. Illic communionem æqualitatis meruit ſanctitas actionis, hîc zelus ultionis jus aperuit poteſtatis. *Ibidem.* 5.

Summus locus bene regitur, cum is, qui præeſt, vitijs potius quàm fratribus dominatur.

Cunctos natura æquales genuit.

Ut alij ad regendum alijs committantur, non eos natura ſed culpa poſtponit.

Vitijs ſe debent Rectores erigere, quorum & cauſa præferun-

tur, & cum delinquentes corrigunt, ſollicite attendant ut per diſciplinam culpas quidem jure poteſtatis feriant, ſed per humilitatis cuſtodiam æquales ſe ipſis fratribus, qui corriguntur, agnoſcant. Quamvis plerumque etiam dignum eſt, ut eoſdem quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus.

Tanto apud Dominum obligatiores ſumus, quanto apud homines inulte peccamus.

Mirum valde eſt, cum in cordibus ſublimium regnat humilitas morum.

Subtiliſſima ars vivendi eſt culmen tenere, gloriam premere: eſſe quidem in potentia, ſed potentem ſe eſſe neſcire: ad largienda bona potentem ſe cognoſcere, ad rependenda noxia omne, quod potenter valet, ignorare.

Deum imitari deſiderat, qui faſtigium potentiæ alienis intentus utilitatibus, & non ſuis laudibus elatus adminiſtrat, qui prælatus

cæteris,

cæteris prodeſſe appetit, non præeſſe.

Tumoris elatio, non ordo poteſtatis in crimine eſt. Potentiam Deus tribuit, elationem vero potentiæ malitia noſtræ mentis invenit.

Aliud eſt quod per ſacram Scripturam omnibus generaliter præcipitur: aliud quod ſpecialiter perfectioribus imperatur. *cap. 20.*

Bene ſancti viri Scripturæ ſacræ teſtimonio Reges vocantur: quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frenant, modo æſtum avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo ſuggeſtionē livoris obruunt, modo ignem furoris extingunt. *cap. 21.*

Locus afflictionis eſt vita præſens.

Cum ſupernam gloriam magis amando cognoſcimus, tunc mala quæ egimus graviora fuiſſe ſentimus. *cap. 22.*

Sunt nonnulli quos à perditis moribus nec tormenta compeſ-

cunt, de quibus per Prophetam
Hier. 5. dicitur: *Percuſſiſti eos, nec doluerunt: flagellaſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Interfeci & perdidi populum meum, & tamen à*
Hier. 15. *vijs ſuis non ſunt reverſi.* Hi nonnunquam duriores exiſtunt ex verbere, quia pulſati doloribus, aut contumaci pertinacia duriores exiſtunt, aut quod pejus eſt, in blaſphemiæ etiam exaſperationem proſiliunt: quia peccata quæ flagellis emendare debuerant, flagellis exagerant.

Iram Dei mereri, eſt etiam neſ-
cap. 23. ciendo peccare: provocare vero eſt mandatis illius ſciendo contraire: ſcire bonum, ſed deſpicere: facere poſſe, nec velle.

Omnis iniquus, qui cum iniquus ſit, ſanctus videri non appetit, in flagelli percuſſione deprehenſus, fateri quod iniquus ſit, non erubeſcit. Qui vero iniqua agens, humana de ſe judicia ſub ſpecie ſanctitatis intercipit, etiam cum flagello percutitur, iniquum ſe

prodere refugit, quia ſanctus videri conſuevit.

Apud aures Dei vox valida devota confeſſio eſt.

Omnis, qui cum iniquus ſit, dici ſanctus ab hominibus non pertimeſcit, etſi iniquum ſe tacita cogitatione reprehendit, tamen dum ſæpius ſanctus audire ſe cœperit, hoc quod de ſe intrinſecus tenebat, amittit.

Laus ſua juſtos cruciat, iniquos exaltat. Sed juſtos dum cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monſtrat. Iſti enim ſua laude paſcuntur, quia auctoris ſui gloriam non requirunt. Illi autem, qui auctoris gloriam quærunt, ſua laude cruciantur, ne non ſit intus, quod foris dicitur, ne ſi eſt etiam quod dicitur, ante Dei oculos ipſis favoribus vacuetur, ne humana laus robur mentis emolliat, eamque in ſua delectatione proſternat, & quæ adjumentum debet eſſe augendi operis, jam retributio ſit laboris.

Cum præcepta deſpicimus, pia diſtrictione nobiſcum agitur, ut flagella timeamus.

cap.24. Omne peccatum fundamentum non habet, quia ex propria natura non ſubſiſtit. Malum quippe ſine ſubſtantia eſt.

cap.26. Sancti viri aliena opera etiam parva mirantur, ſua vero etiam magna deſpiciunt. At contrà arrogantes aliena etiam magna deſpiciunt, ſua vel quæ parva ſunt, admirantur: & plerumque de ſuis malis bona æſtimant, de alienis autem bonis mala ſentire non ceſſant.

cap.28. Neque debet plurimorum malum tendere in æſtimationem cunctorum.

Trituræ tempus eſt, & adhuc grana ſub paleis latent.

Dignum eſt, ut cum aliena corrigimus, prius noſtra metiamur, ut prius mens à ſua averſione deferueat, prius intra ſemetipſam zeli ſui impetum tranquilla æquitate componat: ne ſi ad animadver-

tenda vitia abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus, & qui culpam dijudicando inſequimur, immoderate ferendo ſæviamus.

In correptione vitiorum ſubeſſe menti debet iracundia, non præeſſe: ut executionem juſtitiæ non dominando præveniat, ſed famulando ſubſequatur, & notum judicium poſſeſſa impleat, non poſſidens præcurrat.

Qui magna agit, quamvis de ſe humilia ſentiat, ſcit tamen magna eſſe quæ agit. Nam ſi magna eſſe neſcit, ea procul dubio minime cuſtodit. Quæ dum cuſtodire negligit, aut in eis minus proficit, aut ea funditus amittit.

Dum bona noſtra opera ſcire neceſſe eſt ut cuſtodiamus, ex ipſa eorum ſcientia elationis aditus panditur, & ad operantis cor culpæ manus admittitur, qua vaſtante rapiantur.

Mira diſpenſatione agitur, ut Conditor noſter ſublevatum proſ-

peris animum ſubita concuti ten-tatione permittat: quatenus ſe-metipſum in infirmitate verius vi-deat, & ab eo quem de virtutibus ſumpſerat, jam ſeipſo melior ela-tionis faſtu deſcendat.

l. 27. c. 1. Quiſquis de magnis dictis ar-rogantium ſumere ſcientiam niti-tur, providere ſolerter debet, ne hoc quod eorum ſcientia altum tumet, imitetur: ne cum virtutum flore morum vitia colligat, & in eo quod loquendi notitiam aſſequi-tur, vivendi ſe imperitia transfi-gat.

Nemo bene judicat, quod ig-norat.

cap. 3. Omnis homo eo ipſo quo ra-tionalis eſt conditus, debet ex ra-tione colligere eum, qui ſe con-didit, Deum eſſe.

cap. 5. Duo in hac vita ſunt genera ju-ſtorum. Unum videlicet bene vi-ventium, ſed nulla docentium: aliud vero recte viventium, & ea-dem recta docentium: ſicut & in cæli facie aliæ ſtellæ prodeunt,

quas nullæ pluviæ ſubſequuntur: aliæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus infundunt.

Veritatis lumen quod elatis occupatiſque mentibus abſconditur, afflictis humiliatiſque revelatur. *cap. 7.*

Amicus veritatis rectæ amator actionis. *cap. 8.*

Is qui propter nos minor Angelis extitit, æquales nos Angelis virtute ſuæ minorationis fecit.

Moriendo docuit *Dominus* mortem non metui, reſurgendo de vita confidi, aſcendendo de cœleſtis patriæ hereditate gloriari, ut quo caput præiſſe conſpiciunt, illuc ſe ſubſequi & membra gratulentur.

Is, qui in cælo ſemper eſt, ad cælum quotidie aſcendit: quia qui divinitate ſuper omnia permanet, humanitatis ſuæ compage ſeſe quotidie ad cælos trahit.

Si deſperet humana fragilitas, unigeniti ſanguinem conſideret, & in precio ſuo conſpiciat, quàm magna eſt, quæ tanti valet. Perpendat ſollicite quo caput præ-

ceſſit, & quo ad vivendum præceptis aſtringitur, ad ſperandum exemplo roboretur: confidat cælos, ſperet ſupernam patriam, Angelorum ſe ſociam ſciat, atque in ſuo capite prælatam ſe etiam Angelis gaudeat.

cap. 10. Auditio vocis Dei prius in terrore fit, ut poſt vertatur in dulcedinem: quia ante nos diſtricti judicis timore caſtigat, ut jam caſtigatos ſupernæ dulcedinis conſolatione reficiat.

Superbum cor prius terrore concutitur, ut concuſſum in amore ſolidetur.

Quos Spiritus Sanctus replet, prius eos de terrena actione terrificat, & poſtmodum ſpe cæleſtium conſolatur: ut tanto poſt confitendo de præmijs gaudeant, quanto prius ſola ſupplicia conſpiciendo metuebant.

Judices fiunt, qui ſupernum judicium perfecte timuerunt, & aliena jam peccata incipiunt dimittere, qui prius formidaverant

ne retinerentur ſua.

Qui ubique præſens, & ubique æqualis eſt, etiam in diſſimilibus ſibi ipſi diſſimilis non eſt, *cap. 11.*

Æque omnia reſpicit, æque cuncta diſponit, qui in omnibus locis præſens, nec localiter tenetur, nec varia curando variatur.

Idcirco fiunt exteriora miracula, ut mentes hominum ad interiora perducantur: quatenus per hoc quod mirum viſibiliter oſtenditur, ea quæ admirabiliora ſunt inviſibilia credantur.

Gravi luctu afficit eadem gratia, quæ poſt facinora mentem replet. Nam male geſta ad memoriam reducit, ſibique hominem, quàm ſit juſte damnandus, oſtendit. Unde fit ut peccatum omne, quod ſe egiſſe reminiſcitur, quotidianis fletibus inſequatur: & quo magis valet jam quod juſtum eſt cernere, eo ardentius appetit injuſtum ſeſe gemitibus punire.

Quem Dominus illuſtrando repleverit, ejus vitam procul dubio *cap. 12.*

in lamentum vertit, atque illuminatæ menti quo magis æterna ſupplicia inſinuat, eo hanc durius de tranſacta nequitia gemitibus fatigat: & dolet homo quod fuit, quia bonum jam incipit videre quod non fuit: odit ſe qualem fuiſſe meminit, amat qualem ſe eſſe debuiſſe cognoſcit, & ſolam jam pœnitentiæ amaritudinem diligit, quia caute conſiderat in quantis voluptatibus ſua delectatione peccavit.

Cum mentem Deus ingreditur, conſtat procul dubio, quod mox pœnitentiæ gemitus ſequatur, & ei jam ſalubriter flere libeat, quæ prius de iniquitatibus flenda jucunditate gaudebat.

cap. 14. Sicut nix terram, cum jacet, operit; cum vero liquatur, rigat: ita ſanctorum virtus per firmitatem ſuam apud Deum vitam peccatorum protegit, & condeſcenſionem ſuam, quaſi liquefacta, arentem terram, ut fructus proferat, infundit. Et quia aqua prius ab

infimis trahitur, ut poſt à ſuperioribus ſparſa reddatur: ſancti quique etiam cum in virtutis arce conſiſtunt, unde elevâti ſunt conſiderant, ne alienæ infirmitatis abjecta contemnant.

Mala, quæ agunt homines, penſare contemnunt. *cap. 16.*

Fugiant iniqui humanos oculos, ſemetipſos certe fugere non poſſunt. Quia enim malum quod faciunt, noverunt, habent teſtem conſcientiam, habent judicem rationem ſuam. In peccato igitur quod committunt, prius contra ſe judicium rationis inveniunt, & poſt ad diſtrictionem æterni examinis perducuntur.

Miro ordine diſpoſitionis occultæ malum non permittitur neſciri quod agitur, & ſuo ſe jam judicio peccator in conſcientia condemnat, & poſt condemnationem propriam ad æterni judicis ſententiam properat.

Bene ad Iudæam Dominus per Prophetam dicit: *Quo uſque me-* *cap. 17. Hier. 14.*

rabuntur in te cogitationes noxiæ? Neque enim reprehendit, cur veniant, ſed cur morentur. Et in bonis enim cordibus cogitationes illicitæ veniunt, ſed tamen morari prohibentur. Quia recti quique ne captivandam domum conſcientiæ præbeant, ab ipſo cordis limine hoſtem fugant.

cap. 19. Quid electi quique ſunt, niſi frumenta Dei cæleſtibus horreis recondenda? Quæ nunc in tritura areæ paleas tolerant, quia in hac purgatione ſanctæ Eccleſiæ mores contrarios reproborum portant, quouſque hanc internus agricola ventilabro judicij dirimat, & in ſuperna habitacula electos ſuos quaſi munda jam grana ſuſcipiens, æternis paleas ignibus tradat.

cap. 27. Alia ſunt bona ſumma, alia bona media: Bona ſumma ſunt fides, ſpes, charitas. Quæ cum veraciter habentur, in malum inflecti non poſſunt. Bona autem ſunt media, prophetia, doctrina, curationum virtus, & cætera: quæ ita

inter utrumque ſunt poſita, ut aliquando per hæc ſola æterna patria, aliquando vero gloria terrena requiratur.

Sæpe per ipſa dona, quæ ſe percipere exultat, à manu dantis incautus animus elongat.

Illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id eſt, in humilitate perdurat

Contemplari Dei ſapientiam non poſſunt qui ſibi ſapientes videntur.

Qui mundi ſtultitiam humiliter eligunt, ipſi Dei ſapientiam ſubtiliter contemplantur.

Quid in hoc mundo ſtultius quàm amiſſa non quærere, poſſeſſa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injurijs injuriam reddere, imo adjunctis alijs patientiam præbere?

Juſtus Iob ante flagella extitit, *l.28.c.1.*
ſed juſtior poſt flagella permanſit.

Cum per Angelum voluntatem *cap. 2.*
ſuam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus de-

monſtrat, aliquando ſimul verbis & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis oſtenſis, aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre aſſumptis, aliquando cæleſtibus ſubſtantijs, aliquando terrenis, aliquando ſimul terrenis & cæleſtibus.

cap. 6. Quid ſancta Eccleſia, niſi ſuperni ſui capitis corpus eſt? In qua alius alta videndo oculus, alius recte operando manus, alius ad injuncta diſcurrendo pes, alius præceptorum vocem intelligendo auris, alius malorum fœtorem bonorumque fragrantiam diſcernendo naris eſt. Qui corporalium more membrorum, dum viciſſim ſibi accepta officia ſibi impendunt, unum de ſemetipſis omnibus corpus reddunt: & cum diverſa in charitate peragunt, diverſum eſſe prohibent ubi continentur: ſi autem unum quid cuncti agerent, corpus utique quod ex multis continetur, non eſſent, quia videlicet multipliciter compactum non exiſteret,

ſi hoc concors membrorum diverſitas non teneret.

Membrorum noſtrorum tunc bene miniſterijs utimur, cum ſua eis officia diſtincte ſervamus.

Per momenta temporum ſæpe merita mutantur actionum.

Plerumque virtus, cum indiſcrete tenetur, amittitur: cumque diſcrete intermittitur, plus tenetur.

Ex ſtudio arcus diſtenditur, ut in ſuo tempore cum utilitate tendatur. Qui ſi ocium relaxationis non accipit, ferendi virtutem ipſo uſu tenſionis perdit.

Vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis noſtra penſanda eſt, ut nihil temporale in his quæ agit appetat, totam ſe in ſoliditate æternitatis figat.

Ab activa vita longe contemplativa diſtat: ſed incarnatus Redemptor noſter veniens, dum utramque exhibuit, in ſe utramque ſociavit. Nam cum in urbe miracula faceret, in monte vero orando continue pernoctaret, *Luc. 6.*

exemplum ſuis fidelibus præbuit: ut nec contemplationis ſtudio proximorum curam negligant, nec rurſum cura proximorum immoderatius obligati, contemplationis ſtudia derelinquant: ſed ſic in utriſque mentem patiendo conjungant, quatenus nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec àmorem proximi, quia tranſcendit, abjiciat amor Dei.

cap. 9. Mala quaſi mala eſſe deſinunt comparatione pejorum: & bona quaſi bona non ſunt comparatione meliorum.

Plus ſemper ira in vindicta exigit, quàm injuria accepit.

Facile omne virtutum bonum tentatione cordis irruente deſtruitur, niſi ab intimis fixa charitate ſolidetur.

l. 29. c. 1. In humanitate venit *Dominus* ut videretur: videri voluit, ut imitaretur.

Deo tanto magis homo debitor fuit, quanto pro illo Deus etiam indigna ſuſcepit.

Via ad interitum per iniquas *cap. 8.* ſemper cogitationes aperitur.

Væ miſeris nobis, qui de ele- *cap. 9.* ctione noſtra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in ocio quaſi de ſecuritate torpemus.

Debet profecto, debet in ſpe eſſe non ſolum ſecuritas, ſed etiam timor in converſatione, ut & illa certantes foveat, & iſte torpente pungat.

De ſpe incaſſum præſumit, qui timere Deũ in ſuis operibus renuit.

Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota pietate judicetur: quia diſtricte diſcuſſa, inde ante oculos judicis, unde ſe placere ſuſpicatur, obruitur.

Prius conſperſionem uniuſcu- *cap. 12.* juſque antiquus adverſarius perſpicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Quia lætitiæ voluptas juncta eſt, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia triſtitia in iram facile labitur, triſtibus poculum diſcordiæ porrigit. Quia timidi ſupplicia formidant, paventibus

terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conſpicit, eos ad quæ voluerit blandis favoribus trahit: ſingulis igitur hominibus vitijs convenientibus inſidiatur. Neque enim facile captivaret, ſi aut luxurioſis prœmia, aut avaris ſcorta proponeret: ſi aut voraces de abſtinentiæ gloria, aut abſtinentes de gulæ imbecillitate pulſaret: ſi mites per ſtudium certaminis, aut iracundos capere per favorem formidinis quæreret.

Dominus auctor eſt naturæ, non culpæ.

cap. 15. Plerumque ab inchoantibus opus bonum dum priuſquam oportet oſtenditur, à grano perfectionis inanitur: & plerumque virtutes, dum pluſquam neceſſe eſt exuberant, exhalant.

cap. 18. Cuncta quæ pateris, tanto tolerare patientius debes, quanto ſecretorum cæleſtium ignarus, cur hæc pateris neſcis.

l. 30. c. 5. Omne viſibile, quod in hac vita reprobos figit, hoc eiectos ad

alta impellit: quia dum bona, quæ facta ſunt, reſpiciunt, in eum à quo facta ſunt, inardeſcunt; tantoque eum præſtantius amant, quanto illum hoc, quod ipſe bonum condidit, præire conſiderant.

Magna quæ agimus, quaſi minima ducimus, cum hæc per fortia exempla penſamus. Sed tunc apud Deum creſcunt per meritum, cum apud noſmetipſos per humilitatem decreſcunt. *cap. 9.*

Cum voluptas lubrica tentat in proſperis, hæc ipſa ſunt proſpera aculeo tentationis opponenda, ut eo erubeſcamus prava committere, quo nos à Deo meminimus gratuito bona percepiſſe; & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, ut ſint ante oculos quæ percepimus, & quæ nos alliciunt, ſubigamus.

Quia voluptas ipſa ex proſperitate naſcitur, ejuſdem proſperitatis eſt conſideratione ferienda, quatenus hoſtis noſter unde oritur, inde moriatur.

Tunc illata convicia bene toleramus, cum in ſecreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur, quod injuria percutimur, dum in actione noſtra conſpicimus, quia pejus eſt quod meremur: ſic que fit, ut contumelijs gratia magis quàm ira debeatur, quarum interventu Deo judice pœna gravior declinari poſſe confiditur.

In altum creſcere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur. Et cum rivos fontis obſtruimus, fluenta ſurgere ad ſuperiora provocamus.

cap. 12. Quaſi quodam jugo ſervitutis premunt proſpera, dum appetuntur: premunt adverſa dum formidantur.

Si quis ſemel à dominatione deſiderium temporalium colla mentis excuſſerit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur: dum nullo deſiderio felicitatis afficitur, nullo adverſitatis terrore coarctatur.

Aſperum jugum, & duræ ſervitutis pondus eſt, ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntia, ſed cum tranſeuntibus non velle tranſire.

Dum contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex deſiderio adeptionis afflixerunt, poſt ex pavore amiſſionis premunt.

Liber dimittitur, qui calcatis terrenis deſiderijs ab appetitione rerum temporalium ſecuritate mentis exoneratur.

Juſti in converſatione ſua quodlibet eis adverſitatis obviaverit, non impingunt, quia temporalis adverſitatis obſtacula æternæ ſpei & internæ contemplationis ſaltu tranſcendunt.

Quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit cordis?

Qui corpore remotus vivit, ſed tumultibus converſationis humanæ, terrenorum deſideriorum cogitationibus ſe inſerit, non eſt

in ſolitudine.

Hîc contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.

Nequaquam culmen contemplationis attingimus, ſi non ab exterioris curæ oppreſſione ceſſemus.

cap. 13. Si non ea, quæ nobis ſunt viciniora, proſternimus, inaniter ad ea quæ longius ſunt, impugnanda tranſimus.

Incaſſum contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, ſi intra ipſa urbis mœnia civis inſidians habetur.

Mens ipſa certantis ſub gravi confuſionis dedecore à ſpiritalis certaminis congreſſione repellitur, quando infirma in carnis prælio, gulæ gladijs confoſſa ſuperatur. Nam cum ſe parvis proſterni conſpicit, confligere majoribus erubeſcit.

Quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit, ali-

quando vero tempus non prævenit, ſed cibos lautiores quærit: aliquando quælibet ſumenda ſunt, præparari accuratius expetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, ſed in ipſa quantitate ſumendi menſuram moderatæ refectionis excedit. Nonnunquam vero & abjectius eſt quod deſiderat, & tamen ipſo æſtu immenſi deſiderij deterius peccat,

Antiquus hoſtis, quia non cibum, ſed cibi concupiſcentiam eſſe cauſam damnationis intelligit, & primum ſibi hominem non carne, ſed pomo ſubdidit: & ſecundum non carne, ſed pane tentavit.

Plerumque Adam culpa committitur, etiam cum abjecta & vilia ſumuntur.

Magnus diſcretionis labor eſt, *cap. 14.* & non dando gulam reſtringere, & dando naturam nutrire.

Sic voluptas ſub neceſſitate ſe palliat, ut vix eam perfectus quiſ-

que diſcernat. Nam dum ſolvi debitum neceſſitas petit, voluptas explere deſiderium ſuppetit: & tanto gula ſecurius in præceps rapit, quanto ſub honeſto nomine neceſſitatis explendæ ſe contegit. Sæpe autem in ipſa edendi via, furtiue adjuncta voluptas ſubſequitur: nonnunquam vero impudenter libera etiam præire conatur. Facile autem eſt deprehendere cum voluptas eſus neceſſitatem prævenit: ſed valde eſt difficile diſcernere, cum in ipſo eſu neceſſario ſe occulta ſubjungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum ſequitur, quaſi à tergo veniens tardius videtur. Eo enim tempore quo neceſſitati debitum ſoluitur, quia per eſum voluptas neceſſitati miſcetur, quid neceſſitas petat; & quid voluptas ſuppetat, ignoratur.

Sæpe dum incauſe neceſſitati condeſcendimus, deſiderijs deſervimus. Nonnunquam vero dum deſiderijs immoderatius obviare nitimur,

nitimur, neceſſitatis miſerias augemus.

Sic neceſſe eſt ut artem quiſque continentiæ teneat, quatenus non carnem, ſed vitia carnis occidat.

Plerumque dum plus juſto caro reſtringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur: ut ad orationem quoque vel prædicationem non ſufficiat, dum incentiva vitiorum in ſe funditus ſuffocare feſtinat.

Eiſdem alimentis vitia ſuperbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt. Et cum virtus alitur, plerumque vires vitijs augentur.

Neceſſe eſt ut interior homo noſter æquus quidam arbiter præſideat inter ſe & eum quem exterius geſtat: quatenus ei homo ſuus exterior & ſemper ad debitum miniſterium ſervire ſufficiat, & nunquam ſuperbe libera cervice contradicat: nec moveat, ſi quid ſuggerendo ſubmurmurat, dummodo eum ſemper ſuperpoſita calce dominationis premat.

Sola elatio funditus non extinguitur : quia quamvis victoriæ ſerviat, ad edomandam tamen cogitationum ſuperbiam continua nobis pugna ſervatur.

cap. 15 Cum *incarnatus Dominus* rebus abjectis & vilibus figuratur, quid de illo contumelioſe dicitur, de quo conſtat quod proprie nihil dicatur ? Vocatur etenim agnus, ſed propter innocentiam. Vocatur leo, ſed propter potentiam. Aliquando etiam ſerpenti comparatur, ſed propter ſapientiam. Atque ideo per hæc omnia dici figuraliter poteſt, quia de his omnibus credi aliquid eſſentialiter non poteſt. Si enim unum horum quodlibet eſſentialiter exiſteret, alterum jam dici non poſſet. Nam ſi agnus proprie diceretur, leo jam vocari non poterat. Si leo proprie diceretur, per ſerpentem ſignari non poſſet. Sed hæc in illo omnia dicimus tanto latius in figura, quanto longius ab eſſentia.

Idcirco inter nos homo factus

eſt *Dominus*, ut non ſolum nos ſanguine fuſo redimeret, ſed etiam oſtenſo exemplo commutaret. In converſatione noſtra & veniendo alia invenit, & vivendo alia docuit. Studebant enim omnes ſuperba Adam ſtirpe progeniti proſpera vitæ præſentis appetere, adverſa devitare, opprobria fugere, gloriam ſequi. Venit inter eos Dominus incarnatus adverſa appetens, proſpera ſpernens, opprobria amplectens, gloriam fugens. Nam cum. Judæi illum regẽ ſibi conſtituere voluiſſent, fieri rex refugit. Cum vero eum interficere molirentur, ſponte ad crucis patibulum venit. Fugit ergo quod omnes appetunt, appetijt quod omnes fugiunt. Sed cum fugit quod omnes appetunt, appetijt quod omnes fugiunt, fecit quod omnes mirarentur, ut & mortuus ipſe reſurgeret, & morte ſua alios de morte ſuſcitaret.

Dnæ vitæ ſunt hominis in corpore conſiſtentis, una ante mor-

tem, alia poſt reſurrectionem; quarum unam omnes agendo noverant, alteram neſciebant, & humanum genus ſoli huic, quam noverat, intendebat. Venit per carnem Dominus, & dum ſuſcepit unam, alteram demonſtravit. Dum hanc nobis cognitam ſuſcepit, illam quæ nobis eſt incognita, oſtendit. Moriendo quippe vitam exercuit quam tenemus, reſurgendo aperuit quam quæramus: exemplo ſuo nos docens, quod hæc vita, quam ante mortem ducimus, non propter ſe amanda ſit, ſed propter alteram toleranda.

cap. 18. Paſcitur Dominus, cum bonis actibus noſtris delectatur.

Sæpe doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, & ſæpe propter auditoris culpam ſubſtrahitur ſermo doctori. In his ergo, quæ ubertim prædicat doctor, nulla elatione ſe efferat, ne fortaſſe non pro ſua, ſed pro auditoris gratia ejus repleatur lingua: & in

his quæ doctor ſteriliter dicit, auditor non ſuccenſeat, ne fortaſſe doctoris lingua non pro ſua, ſed pro auditoris reprobatione torpeſcat.

Pro auditoris gratia datur bonus etiam malis ſermo doctoribus. Sicut potuerunt Phariſæis ſuppetere verba prædicaionis, dequibus ſcriptum eſt: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundum vero opera eorum nolite facere.* Propter auditorum vero reprobationem bonis etiam doctoribus ſermo ſubſtrahitur: ſicut ad Ezechielem contra Iſraël dicitur: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir objurgans, quia domus exaſperans eſt.* Aliquando ſermo prædicationis propter utroſque datur, aliquando propter utroſque ſubſtrahitur.

Math. 23.

Ezech. 3

Quamvis ſecuritati timor ſemper longe videatur abeſſe, nobis tamen nihil eſt ſecurius, quam ſub

ſpe ſemper timere, ne incauta mens aut deſperando ſe in vitijs injiciat, aut extollendo de donis ruat.

l. 31. c. 2. Tanto ſe quiſque in malis præſentibus latius relaxat, quanto poſt hanc vitam ſe aſſequi bona æterna deſperat.

cap. 4. Sancta Eccleſia tranſire ſine labore tentationis non poteſt tempora peregrinationis, quæ etſi foris apertos hoſtes non habet, intus tamen tolerat fictos fratres. Nam contra vitia ſemper in acie eſt, & habet etiam pacis tempore bellum ſuum: & fortaſſe gravius affligitur cum non extraneorum ictibus, ſed ſuorum moribus impugnatur.

cap. 5. Omnes hypocritæ dum bonorum vitam ſimulant, imitationem ſanctæ converſationis habent, ſed veritatem ſanctæ actionis non habent.

Accipitris & herodij parva ſunt corpora, ſed pennis denſioribus ſuffulta; & idcirco cum celeritate

tranſvolant, quia eis parum ineſt quod aggravat, multum quod levat. At contra ſtruthio raris pennis induitur, & immani corpore gravatur: ut etſi volare appetat, ipſa pennarum paucitas molem tanti corporis in aëre non ſuſpendat.

Electi, quamdiu in hac vita ſunt, ſine quantulocumque culpæ contagio eſſe non poſſunt. Sed cum eis parum quid ineſt quod deprimit, multa virtus bonæ actionis ſuppetit, quæ illos in ſuperna ſuſtollit.

Oua inſenſibilia in ſemetipſis ſunt, ſed tamen calefacta in vivis volatilibus convertuntur.

Habent veraces magiſtri ſuper diſcipulos timoris viſcera ex virtute charitatis: hypocritæ autem tanto minus commiſſis ſibimetuunt, quanto nec ſibi metipſis quid timere debeant deprehendunt. *cap. 7.*

Quem charitatis gratia non infundit, proximum ſuum etiam

ſi ipſe hunc Deo genuit, extraneum reſpicit: ut profecto ſunt omnes hypocritæ, quorum videlicet mentes dum ſemper exteriora appetunt, intus inſenſibiles fiunt: & in cunctis quæ agunt, dum ſua ſemper expetunt, erga affectum proximi nulla charitatis compaſſione molleſcunt.

cap. 8. Qua mente aliquid in hoc mundo poſſidemus, non docemur, niſi cum amittimus. Sine dolore namque amittitur, quicquid ſine amore poſſidetur. Quæ vero ardenter diligimus habita, graviter ſuſpiramus ablata.

Noſtris uſibus res terrenas Dominus condidit, ſuis autem animas hominum creavit.

Plus Deo ſe amare convincitur, qui neglectis, quæ ejus ſunt, propria tuetur.

Cum res proprias amittimus, ſi perfecte Deum ſequimur in hujus vitæ itinere à magno onere levigati ſumus.

cap. 9. Pharaonis cor Dominus obdu-

raſſe deſcribitur, non quod ipſe duritiam contulit, ſed quod exigentibus ejus meritis, nulla illud deſuper infuſi timoris ſenſibilitate mollivit.

In unoquoque lapſu à minimis ſemper incipitur, & ſuccreſcentibus defectibus ad graviora pervenitur.

Nunquam illic anima quo ceciderit jacet, quia voluntarie ſemel lapſa ad pejora pondere ſuæ iniquitatis impellitur: ut in profundum corruens, ſemper adhus profundius obruatur.

Quia à bonis maliſque hæc vita communiter ducitur, nunc Eccleſia ex utrorumque numero viſibiliter congregatur, ſed Deo inviſibiliter judicante diſcernitur, atque in exitu ſuo à reproborum ſocietate ſeparatur. Modo vero eſſe in ea nec boni ſine malis, nec mali ſine bonis poſſunt. Hoc enim tempore conjuncta utraque pars ſibi neceſſario congruit, ut & mali mutentur per exempla bonorum;

& boni purgentur per tentamenta malorum.

cap. 10. Manna eſt verbum Dei; & quicquid voluntas bene ſuſcipientis appetit, hoc profecto in ore comedentis ſapit.

Plerumque vitia colore virtutum tincta tanto nequiora ſunt, quanto & eſſe vitia minime cognoſcuntur.

cap. 11. In prædicatore niſi vita & ſermo convenerint, nequaquam perfectionis virtus apparebit. Non enim multum prodeſt, ſi ſublimis vitæ operatione ſuffultus ſit, ſi tamen loquendo non valet ad hoc alios excitare quod ſentit. Vel quid prodeſt bene loquendo alios accendere, ſi ſemetipſum indicat male vivendo torpuiſſe?

cap. 14. Adverſa non dejiciunt, quem proſpera nulla corrumpunt.

Irata dejiciunt, quos blanda ſuſtollunt.

Quiſquis exteriora, quæ & nolenti ſubſtrahuntur, appetit, ſua ſe ſponte extraneo timore ſubſternit.

Infracta virtus eſt concupiſcentia vitæ æternæ, terrenæ contemptus: quia & in alto mens ponitur, cum à rebus infimis ſpei ſuæ judicio ſublevatur: atque à cunctis adverſantibus tanto minus attingitur, quanto in ſupernis ſita tutius munitur.

Si ad vitæ æternæ deſiderium animus exarſit, ſi jam verum lumen extrinſecus reſpicit, ſi in ſe flammam ſancti feruoris accendit, in quantum locus admittit, in quantum cauſa exigit, debemus pro deffenſione juſtitiæ noſmetipſos objicere, & perverſis ad injuſta erumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur obviare. Nam cum juſtitiam, quam nos amamus in alijs feriunt, nos nihilominus ſua perſecutione confodiunt, etiamſi venerari videantur.

Valde præceps eſt, qui ſemper ſe adverſis objicit, & valde pavidus, qui ſemper abſcondit.

Non ille dux ſapiens eſt, qui ſemper contra hoſtiles cuneos

exercitum præceps admovet: neque ille dux fortis, qui ſemper hunc ab hoſtis facie ſubducit. Scire namque dux debet modo ab hoſtili impetu exercitum caute ſubſtrahere, modo hoſtem circumfuſis cornibus coarctare.

Cap. 16. Sicut vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, & palpitat & feſtinat, tremit & ſævit: quaſi pavere per pallorem cernitur, ſed per iram vehementer urgetur: ita vir ſanctus cum paſſioni ſe propinquare conſpicit, & naturæ ſuæ infirmitate concutitur, & ſpei ſuæ ſoliditate roboratur, & de vicina morte trepidat, & tamen quod moriendo verius vivat, exultat. Ad regnum quippe non poteſt niſi interpoſita morte tranſire: & idcirco confidendo quaſi ambigit, & quaſi ambigendo confidit: & gaudens metuit, & metuens gaudet: quaſi ſcit quod ad brauium quietis non perveniat, niſi hoc quod interjacet, cum labore tranſcendat. Sic nos cum

morbos à corpore repellere cupimus, triſtes quidem amarum purgationis poculum ſumimus: certi autem de ſubſequenti ſalute gaudemus. Quia enim pervenire corpus aliter ad ſalutem non valet, in potu libet etiam quod tædet.

Malum quod conſilio prævenitur, decertanti contra ſe animo ex ratione ſubjicitur: quia tanto quiſque minus adverſitate vincitur, quanto contra illam præſciendo paratus invenitur.

Converſionum initia bonis moribus maliſque permixta ſunt: dum & noua jam per intentionem agitur, & vetus adhuc vita ex uſu retinetur. *cap. 17.*

In ipſo noſtræ converſionis initio infirma quædam pie de nobis Dominus tolerat, ut nos quandoque ad cæleſtia ex perfectione perducat.

Sæpe contingit ut hi, qui regendis alijs præſunt, tentationum certamina fortiora patiantur, quatenus corporalium more bellorum

dum dux ipſe ad fugam vertitur, reſiſtentis exercitus conſtipata unanimitas ſine labore diſſipetur.

Hoſtis callidus contra cæleſtem militem diverſa percuſſionum vulnera exquirens, modo ex pharetra per inſidias eum ſagitta vulnerat, modo ante ejus faciem haſtam vibrat: quia videlicet vitia & alia ſub virtutum ſpecie contegit, & alia, ut ſunt, aperta ejus oculis opponit. Ubi enim infirmari Dei militem conſpicit, illic fraudis velamina non requirit. Ubi autem ſibi reſiſtere fortem conſiderat, illic contra vires procul dubio dolos parat. Nam cum infirmum quempiam in carnis illecebra videt, aperte ſpeciem corporis, quæ concupiſci valeat, ejus obtutibus objicit. Si autem fortaſſe validum contra avaritiam cernit, importune ejus cogitationibus domeſticorum ſuorum inopiam ſuggerit: ut dum mens ad proviſionis curam quaſi pie flectitur, ſeducta furtim in rerum ambitu inique rapiatur.

Doloſus adverſarius ſimul ferire nititur, & aperte ſæviens, & in inſidijs latens: ut dum de occulto ſagitta metuitur, minus ante faciem haſta timeatur: vel dum ante faciem haſtæ reſiſtitur, nequaquam ex occulto veniens ſagitta videatur. Sæpe enim tentationem proponit de libidine, & ſubito fraudulentius ceſſans, elationem ſuggerit de ſervata caſtitate.

Sunt nonnulli, qui dum libidinis immunditiam fugiunt, per caſtitatis culmen in voraginem elationis ruunt.

Sæpe dum ſuborientem culpam metuimus, virtutem quæ agenda eſt, declinamus.

Plerumque ex bonis per incuriæ vitium mala naſcuntur.

Tentantia vitia, quæ inviſibili contra nos prælio regnant, ſuper ſe ſuperbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus ſubſequuntur. Neque enim culpæ omnes pari acceſſu cor occupant.

Sed dum majores & paucæ neglectam mentem præveniunt, minores & innumeræ ad illam ſe catervatim infundunt. Ipſa namque vitiorum regina ſuperbia, cum devictum plene cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitijs, quaſi quibuſdam ſuis ducibus devaſtandum tradit. Quos videlicet duces exercitus ſequitur: quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur.

cap. 19. Si ſemel cor in cæleſtibus figitur, mox quam abjecta ſint cernitur, quæ alta videbantur.

* *ejus.* Sola *Dei* viſio vera mentis noſtræ refectio eſt.

l. 32. c. 1. Sancti viri, quo apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eo ſubtilius indignos ſe eſſe deprehendunt.

Cum cauſas rerum Conditor in flagello non aperit, eo juſtas judicat, quo ſe eas facere, qui ſumme juſtus eſt, demonſtrat.

cap. 5. Beatum Iob non idcirco flagella cæleſtia percuſſerunt, ut in eo

culpas

culpas extinguerent, ſed potius ut merita augerent, quatenus qui tranquillitatis tempore in tanta ſanctitate claruerat, & ex percuſſione pateſceret, quæ in eo etiam patientiæ virtus latebat.

Magna ſatisfactio percuſſionis eſt; voluntas juſta Conditoris. Quæ cum injuſtum facere nihil ſolet, juſta agnoſcitur etiam ſi latet. Nam cum pro injuſtitiæ peccato percutimur, ſi in percuſſione noſtra divinæ voluntati conjungimur, mox ab noſtra injuſtitia ipſa conjunctione liberamur. Quiſquis enim jam percuſſionem tolerat, ſed adhuc cauſas percuſſionis ignorat, ſi juſtum credens hoc ipſum contra ſe judicium amplectitur, eo ipſo ab injuſtitia ſua jam correctus eſt, quo percuſſum ſe juſte gratulatur. In vindicta enim ſua Deo ſe ſocians, ſeſe contra ſe erigit, & magna eſt jam juſtitia, quod voluntati judicis concordat in pœna, cui diſcrepavit in culpa.

Dei memoria nec oblivione cap. 6.

rumpitur, nec recordatione ſancitur. Sed dum aliqua deſerens prætermittit, more mentium obliviſci dicitur; & cum poſt longum tempus quæ voluerit viſitat, noſtræ mutabilitatis conſuetudine recordatus vocatur.

Nulla niſi aut præterita aut abſentia recordantur. Quomodo ergo Deus præteritorum reminiſcitur, cum ipſa, quæ in ſemetipſis prætereunt, ejus nutui ſemper præſentia aſſiſtunt? Aut quomodo abſentium recordatur, dum omne quod eſt, per hoc illi præſto eſt, quod in ipſo eſt? Quod ſi ei præſto non eſſet, omnino non eſſet: nam non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet.

Quicquid Creator non videt, eſſentia ſubſiſtendi caret.

Cum in Deo oculus, ſcapulæ, atque alæ nominantur, effectus operationis oſtenditur.

cap. 7. Duobus modis à Domino peccator unuſquiſque reſpicitur, cum aut à peccato convertitur, aut ex

peccato punitur. De reſpectu converſionis dicitur: *Quia reſpexit Dominus Petrum, & recordatus Petrus verbi Ieſu flevit amare.* Luc. 22.
De reſpectu ultionis rurſus dicitur: *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Pſ. 33.

Miro & diverſo modo res agitur, ut humiles cælum petant, dum ſe inferius dejiciunt: ſuperbi infima appetant, dum deſpiciendo cæteros quaſi in altioribus extolluntur. Illi ſe elevantes deprimunt: iſti deprimentes elevant.

Dejeciſti eos dum allevarentur: Non ait *Propheta:* Dejeciſti eos poſtquam elevati ſunt, ſed dum allevarentur: quia hoc ipſum fit ſuperbis interius dejici, quod eis falſa contingit gloria exterius elevari. Ordinante enim divino judicio, non eis hîc aliud culpa eſt, atque aliud pœna: ſed ſua illis in pœnam vertitur culpa, ut elatis faſtu ſuperbiæ, hoc ipſum ſit vere intus cadere, quod foris oſtenditur profeciſſe. Pſ. 72.

cap. 8. Minus diligit ereptorem ſuum, qui minus intelligit periculum quod evaſit : & vile ſolatium deputat defenſoris, qui virtutem adverſarij debilem putat.

Mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te. Pſ. 16.

Tunc miſericordiæ Domini miræ apud noſmeipſos, qui eripimur, fiunt, cum per eaſdem miſericordias, quam gravia fuerint pericula, quæ evaſimus, agnoſcimus.

Simul ſunt in radicis ſubſtantia, quæ non ſimul prodeunt per

cap. 9. temporis incrementa.

cap. 10. Equi fœnum quamlibet ſordidum comedunt, aquam vero non niſi mundam bibunt. Boves aquam ſordidam bibunt, ſed fœno non niſi mundo veſcuntur.

cap. 17. Omne quod hîc eminet, plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet.

Dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpa revocatur; doletque ſe ad laborem cum culpa perveniſſe.

Hoſtis noſtri malitia tanta ſe

arte palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat: ut inde quiſque quaſi expectet præmia, unde dignus eſt æterna invenire tormenta.

Sæpe malorum pertinacia conſtantia dicitur, & dum mens à pravitate ſua flecti non patitur, quaſi ex recti defenſione gloriatur.

Aliquando vocis ſuperbia veri libertas æſtimatur: & cum per elationem veritati contradicitur, loquendi procacitas veritatis defenſio putatur.

Cum culpa velut virtus aſpicitur, neceſſario penſandum eſt, quia tanto tardius mens vitium ſuum deſerit, quanto hoc quod perpetrat, non erubeſcit: Et tanto mens tardius vitium deſerit, quanto per virtutis ſpeciem decepta, præmiorum etiam de eo retributionem quærit.

Facile culpa corrigitur, quæ & erubeſcitur, quia eſſe culpa ſentitur.

Error cum virtus creditur, difficilius emendatur.

l. 33. c. 6. Si ambulandi cautela negligitur, incaſſum credendo rectum iter tenetur: quia via quidem fidei ad cæleſtem patriam proficit, ſed oſtendentes minime perducit.

cap. 7. Notandum valde eſt quod Scripturæ ſuæ verba miſericorditer temperans Deus, modo nos aſperis incitationibus terret, modo blandis conſolationibus refovet, & terrorem fomentis miſcet, & fomenta terrori; ut dum circa nos utrumque mira magiſterij arte temperatur, nec deſperate inveniamur territi, nec incaute ſecuri.

In hamo eſca abſconditur, aculeus occultatur. Eſca provocat, ut aculeus pungat.

cap. 10. Pius ac juſtus eſt Conditor noſter. Sed nemo dicat: Quia pius eſt, venialiter pecco. Et nemo, qui peccaverit, dicat: Quia juſtus eſt, de peccati remiſſione deſpero. Relaxat enim Deus facinus, quod defletur; ſed perpetrare quiſque

timeat; quod ſi digne deflere poſſit, ignorat. Ante culpam ergo juſtitiam metuat, poſt culpam tamen de pietate præſumat: neque ita juſtitiam timeat, ut nulla ſpei conſolatione conualeſcat: neque ita confidat de miſericordia, ut adhibere vulneribus ſuis dignæ pœnitentiæ negligat medicinam, ſed quem præſumit ſibi pie parcere, ſemper etiam cogitet & diſtricte judicare. Sub pietate itaque ejus ſpes peccatoris gaudeat, ſed ſub diſtrictione illius pœnitentis correctio contremiſcat.

Spes præſumptionis noſtræ habeat etiam motum timoris: ut ad corrigenda peccata juſtitia judicantis terreat, quem ad fiduciam veniæ gratia parcentes invitat.

Ad hoc in Scriptura ſacra David & Petri peccata ſunt indita, ut cautela minorum ſit ruina majorum. Ad hoc utrorumque illic & pœnitentia inſinuatur & venia, ut ſpes pereuntium ſit recuperatio perditorum.

De ſtatu ſuo David cadente nemo deſperet. De lapſu etiam ſuo David ſurgente nemo deſperet.

cap. 11. In peccatoris pectore inceſſanter debet ſpes & formido conjungi: quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam juſtitiam timeat: incaſſum juſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidat.

Aliquando minus eſt in corporis corruptione cadere, quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare: ſed cum minus turpis ſuperbia creditur, minus vitatur.

Fit plerumque ut nonnulli poſt ſuperbiam in luxuriam corruentes, ex aperto caſu malum culpæ latentis erubeſcant: & tunc etiam majora corrigunt, cum proſtrati in minimis gravius confunduntur. Reos enim ſe inter minora conſpiciunt, qui ſe liberos inter grauiora crediderunt.

Qui acceptis virtutibus extollitur, non gladio, ſed, ut ita dixerim, medicamento vulneratur. Quid

eſt enim virtus niſi medicamentum? & quid eſt vitium niſi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit *Deus* *Ille. de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in uſum vitiorum; ille vitiorum illecebras aſſumit in artem virtutum & ſalutis ſtatum: percutit ut ſervet, ut qui humilitatem currentes fugimus, ei ſaltem cadentes hæreamus.

Antiquus hoſtis occultis Dei diſpenſationibus ſerviens, ſanctorum animas ad interitum tentat volens, ſed ad regnum tentando ſervat invitus.

Secreto diſpenſationis ordine, *cap. 13.* unde ſævire permittitur iniquitas Diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei.

Sicut niger color in pictura ſubſternitur, ut ſuperjectus albus vel rubeus pulchrior oſtendatur: ita etiam malos bene ordinans Deus, feliciora exhibet gaudia

beatorum, oſtenſis ante eorum oculos ſupplicijs reproborum. Et quamvis illud ex viſione dominica eorum gaudium non ſit quo creſcat: magis tamen auctori ſuo eſſe ſe debitores ſentiant, quando & bonum cernunt quod juſte remunerati percipiunt, & malum quod miſericorditer adjuti vicerunt.

Alta diſpenſatio judiciorum Dei idcirco ſæpe bene merentes famulos, vel minis impetit, vel flagellis premit, vel quibuſdam ſuperimpoſitis oneribus gravat, vel laborioſis occupationibus implicat: quia mira potentia prævidet, quod ſi quieti ac liberi in tranquillitate perſiſterent, tentationes ferre adverſarij non valentes, mentis proſtrati vulneribus jacerent. Dum ergo eos foris tolerandis flagellis vel oneribus occupat, à ſuſcipiendis intus tentationum jaculis occultat.

Moris medicinalis eſt, ut ſæpe feruorem viſcerum in pruriginem cutis trahat, & plerumque inde

interius curat, unde exterius ſauciat. Ita nonnunquam divinæ diſpenſationis medicamine agitur, ut exterioribus doloribus internum vulnus adimatur, & flagellorum ſectionibus repellatur ea, quæ occupare mentem poterat interior putredo vitiorum.

Nemo ut divina illum gratia ſubſequatur, prius aliquid contulit Deo. *cap. 10.*

Nemo Deum meritis prævenit, ut tenere eum quaſi debitorem poſſit.

Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum: Dei per prævenientem gratiam: noſtrum per obſequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non eſt, unde ei gratias in æternum agimus? Rurſum ſi noſtrum non eſt, unde nobis retribui proemia ſperamus? Quia ergo non immerito gratias agimus, ſcimus quod ejus munere prævenimur: & rurſum, quia non immerito retributionem quærimus, ſcimus quod ſubſequente libero arbi-

trio bona eligimus, quæ ageremus.

cap. 11. Sunt intra ſanctam Eccleſiam nonnulli, qui prolixas ad Dominum preces habent, ſed vitam deprecantium non habent: nam promiſſa cæleſtia petitionibus ſequuntur, opreibus fugiunt. Et fletus in prece precipiunt, & tamen expletis precibus, cum vitiorum ſuggeſtione pulſantur, nequaquam pro æterni regni deſiderio ſe fleviſſe meminerunt.

Virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perſeverantia continui amoris tenet.

Nonnullis in uſum negotiationis vertitur labor orationis.

Veraciter orare, eſt amaros in compunctione gemitus, & non compoſita verba reſonare.

cap. 22. Leviathan iſte aliter religioſas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat: nam pravis mala, quæ deſiderant, aperte objicit; bonis autem latenter inſidians ſub ſpecie ſanctitatis illudit.

Illis velut familiaribus ſuis iniquum ſe manifeſtius inſinuat. Iſtis vero velut extraneis cujuſdam quaſi honeſtatis prætextu ſe palliat, ut mala, quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine ſubintromittat.

Sicut eſſe noxium ſolet ſi unitas deſit bonis, ita perniciosum eſt ſi non deſit malis. *cap. 24.*

Valde iniqua ſunt, quæ ſub boni ſpecie moliuntur.

Nummunlarij, cum numiſma percipiunt, prius qualitatem illius, poſt figuram, ad extremum vero pondus examinant, ne aut ſub auri ſpecie æs lateat; aut hoc, quod veraciter aurum eſt, monetæ reprobæ figura dehoneſtet: aut quod & aurum & rectæ figuræ eſt, hoc non integrum pondus leviget. *cap. 26.*

Cum forraſſe infirmantur electi, atque in deſiderijs illicitis ruunt, in hoc plerumque divini muneris manu retinentur, quod voluntatis miſeræ nullos effectus inveniunt. Cumque eorum votis valida con- *l. 34. c. 2.*

trarietas naſcitur, plerumque ex ipſa impoſſibilitate corriguntur, & miro internæ diſpoſitionis ordine, per converſionem mutatio malæ voluntatis ſequitur, dum per infirmitatem perfectio denegatur.

Quos voluntas prava pervertit, plerumque adverſitas corrigit.

Nimis timendum eſt ne ſequantur proſpera, cum deſiderantur injuſta: quia difficilius malum corrigitur, quod perfectionis etiam proſperitate fulcitur.

cap. 5. Poſt trituram vitæ præſentis, in qua nunc triticum ſub paleis gemit, ita illo extremi judicij ventilabro inter triticum paleaſque diſcernitur, ut nec in tritici horreum paleæ tranſeant, nec in palearum ignem horrei grana delabantur.

cap. 16. Omnipotens Deus, quia pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur: quia autem juſtus eſt, ab iniquorum ultione in perpetuum non ſedatur.

Sæpe reprobi per quod unum, vel minimum bonum ſuum incaute

conſpiciunt, mala multa & gravia, in quibus demerſi ſunt, non agnoſcunt. Et ſæpe electi per hoc quod ad tenuiſſimum malum ſuum infirmari trepidant, mira diſpenſatione agitur, ut magna bona, ad quæ provecti ſunt, non amittant. Iſti ad proventum boni utuntur levibus malis: & illi ad augmentum mali utuntur minimis bonis. Iſti quippe inde perfectius in bono perficiunt, unde de malo tentantur; illi autem inde ad majus malum deficiunt, vnde de bono gloriantur.

Malè bono utitur reprobus: & bene malo utitur probus. Sicut ſæpe contingit ut alius ex cibo ſalutifero inordinate ſumpto peſtem languoris incurrat; alius veneno ſerpentis in medicamine ordinatæ confectionis adhibito, languoris moleſtiam vincat.

Sancti viri, dum divinitatis arcana audiunt, quanto magis contemplando proficiunt, tanto amplius deſpiciendo quod ſunt, aut l. 15. c. 2.

nihil, aut prope nihil ſe eſſe cognoſcunt.

cap. 5. Quanto quiſque ſe minus videt, tanto ſibi minus diſplicet: & quanto majoris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehenſibilem ſe eſſe cognoſcit. Cum enim intrinſecus ſublevatur per omne quod eſt, ad eam quam ſuper ſe conſpicit regulam congruere nititur. Et quia adhuc humana infirmitas præpedit, cernit quia ei ex non minima parte diſſentit; totumque ex ſe illi onerоſum eſt, quod internæ regulæ conveniens non eſt.

cap. 6. Beatus Iob pro culpa ſe credidit, & non pro gratia flagellari: reſecari in ſe æſtimavit vitia, non autem merita augeri.

cap. 7. In una domo agnus comeditur: *Exod. 12.* quia in una Catholica Eccleſia vera HoſtiaRedemptionis immolatur. Sola eſt in qua opus bonum fructuoſe peragitur, unde *Math. 20.* & mercedem denarij non niſi qui intra vineam laboraverant, acce-

perunt. Sola eſt quæ intra ſe poſitos valida charitatis compage cuſtodit. Unde & aqua diluvij arcam quidem ad ſublimiora ſuſtulit, omnes autem, quos extra arcam invenit, extinxit. Sola eſt, in qua ſuperna myſteria veraciter contemplemur.

Ex ſola Catholica Eccleſia veritas conſpicitur.

Niſi quis fidei ſoliditatem tenuerit, divinam præſentiam non cognoſcit.

Plus pro ſe valere preces ſuas efficit, qui has & alijs impendit.

Libentius ſacrificium orationis accipitur, quod in conſpectu miſericordis judicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quiſque cumulat, ſi hoc etiam pro adverſarijs impendat.

Per pietatem benigni judicis tentationis noſtræ diſpendium vincunt ſuffragia conſolationum. *cap. 2.*

Minus tentat probatio, quàm remuneratio conſolatur, ut ex retributionis merito leve fuiſſe

quod toleravit, agnoſcat qui ex perſecutionis pondere graue ſe aliquid tolerare judicabat.

Exceſſum correctio, correctionem pœnitentia, pœnitentiam venia, veniam vero munera ſubſequuntur. Samuël ait. 1. Reg. 15.
cap. 10. *Melior eſt obedientia quàm victimæ.* Obedientia victimis jure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.

Tanto quiſque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repreſſâ arbitrij ſui ſuperbia, gladio ſe præcepti immolat.

Vir obediens loquitur victorias: quia dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus.

Nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur intermitti. Neque enim mala in Paradiſo arbor extitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit. Sed ut melius per-

obedientiæ meritum, homo bene conditus creſceret, dignum fuerat ut etiam à bono prohiberetur: quatenus tanto verius hoc quod ageret, virtus eſſet, quanto & à bono ceſſans, auctori ſuo ſe ſubditum humilius exhiberet.

Omnes Paradiſi arbores ad eſum Dominus conceſſit, cum ab una prohibuit, ut creaturam ſuam, quam nolebat extingui, ſed provehi, tanto facilius ab una reſtringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret.

Quia nonnunquam nobis hujus mundi proſpera, nonnunquam vero jubentur adverſa, ſciendum ſummopere eſt, quod obedientia aliquando ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt: aliquando autem ſi de ſuo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus mundi ſucceſſus præcipitur, cum locus ſuperior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem evacuat, ſi ad hæc etiam ex proprio deſiderio anhelat. Ne-

que enim ſe ſub obedientia dirigit, qui ad accipienda hujus vitæ proſpera libidini propriæ ambitionis ſervit. Rurſum cum mundi deſpectus præcipitur, cum probra adipiſci & contumeliæ jubentur, niſi ex ſeipſo animus hæc appetat, obedientiæ ſibi meritum minuit: quia ad ea, quæ in hac vita deſpecta ſunt, invitus nolenſque deſcendit. Ad detrimentum quippe obedientis ducitur; cum mentem ad ſuſcipienda probra hujus ſæculi nequaquam ex parte aliqua etiam ſua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in adverſis ex ſuo aliquid habere: & rurſum in proſperis ex ſuo aliquid omnino non habere: quatenus & in adverſis tanto ſit glorioſior, quanto divino ordini etiam ex deſiderio jungitur, & in proſperis tanto ſit verior, quanto à præſenti ipſa, quam divinitus percipit, gloria funditus ex mente ſeparatur. Moyſes cum in deſerto oves paſceret, Domino per Angelum in igne loquente, vo-

catus eſt ut eripiendæ omni Iſraëlitarum multitudini præeſſet. Sed quia apud ſe mente humilis extitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit dicens: *Obſecro Domine, non ſum eloquens: ab heri enim & nudiustertius ex quo cepiſti loqui ad ſervum tuum, tardioris & impeditioris linguæ ſum factus.* Et ſe poſt poſito alium depoſcit dicens: *mitte quem miſſurus es:* Ecce cum auctore linguæ loquitur, & ne tanti regiminis poteſtatem ſuſcipiat, elinguem ſe eſſe cauſatur. Paulus quoque divinitus fuerat, ut in Hieruſalem debuiſſet aſcendere, admonitus, ſicut ipſe Galatis dicit: Iſque in itinere cum Prophetam Agabum reperiſſet, quanta ſe adverſitas in Hieroſolymis maneret, audivit; ſcriptum quippe eſt, quod idem Agabus zonam Pauli pedibus ſuis inſerens dixit: *Virum cujus hæc zona eſt, ſic alligabunt in Hieruſalem:* A Paulo autem pro-

Exod. 4.

Act. 21. tinus reſpondetur : *Ego non ſolum alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum pro nomine Ieſu; neque enim pretioſiorem facio animam meam quàm me.* Perceptione igitur revelationis Hieroſolymam pergens, adverſa cognoſcit, & tamen hæc libenter appetit : audit quæ timeat, ſed ad hæc ardentior anhelat. Moyſes ad proſpera de ſuo nihil habet, quia precibus renititur, ne Iſraeliticæ plebi præferatur : Paulus ad adverſa etiam ex ſuo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, ſed devotione ſpiritus etiam ad acriora ferveſcit. Ille præſentis poteſtatis gloriam Deo voluit jubente declinare : iſte Deo aſpera & dura diſponente, ſe ſtuduit ad graviora præparare. Præeunte ergo utrumque ducum infracta virtute inſtituimur, ut ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, proſperis hujus ſæculi ex ſola juſſione, adverſis autem etiam ex devotione militemus.

Ipſa obedientia non ſervili metu, ſed charitatis affectu ſervanda eſt; non terrore pœnæ, ſed amore juſtitiæ.

Poſtquam per aſſenſum hominis ſemel adverſarius ad intima irrupit, laborioſius jam victor ejicitur, qui adhuc impugnans ſine labore repelleretur. cap. 13.

Ægro poculum amarum porrigitur, ut ad ſalutis ſtatum morbo ſublato revocetur. Sano autem nequaquam præcipitur quid accipiat ut convaleſcat, ſed á quibus caveat ne langueſcat.

Majoribus ſtudijs utimur, cum ſalutem nequaquam ſervamus habitam, ſed curamus ablatam.

Apud Patrem manſiones multæ ſunt: *Ioan.* 14. quia in illa beatitudinis vita non diſpari, unuſquiſque juxta diſpar meritum, locum diſparem percipit, ſed ejuſdem diſparilitatis damna non ſentit: quia tantum ſibi, quantum perceperit, ſufficit. cap. 14.

Tunc benedicitur bonum, cum cap. 16.

is qui dicit, ſoli ei à quo accipit, per id appetit placere quod dicit.

Plerumque contingit, ut refectionem corporis, quam ſalutis cauſa cæpimus, cauſa voluptatis expleamus.

Fatendum eſt quod rectam quidem intentionem noſtram, quæ ſoli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, inſidiando comitatur.

Mala noſtra pura mala ſunt, & bona quæ nos habere credimus, pura bona eſſe nequaquam poſſunt.

Nullum bonum perficitur, niſi quod in ſummo bono ſolidatur.

Proœmium inſeptẽ Pſalmos Pœnitentiales. Caro ex quatuor conſtat elementis, anima tribus vegetatur naturis. Eſt enim rationalis ad diſcernendum, concupiſcibilis ad virtutes appetendum, iraſcibilis ad vitia adverſandum.

In 1. Pſ. pœnit. v. 1. Quiſquis in hac vita flagellis atteritur, in manſuetudine corripitur,

tur, quia correptionibus emendatur. In illo autem tremendo examine iniquus omnis in furore arguitur, quia pœnam interminabilem venia nulla comitatur.

Aliter de Deo niſi ſecundum humanum morem loqui non poſſumus.

Furor humanus ſicut cito præterit, ita ſuæ rigorem poteſtatis non niſi in corporibus extendit: divinæ vero ultionis animadverſio non ſolum pœnas in corpore & anima multiplicat; verum etiam in damnatis immobiliter perſeverat.

Omnis curatio quanto difficilius acquiritur, tanto acquiſita cautius cuſtoditur. v. 3.

Boni medici officium eſt, non ſolum ſalutem reſtituere, ſed etiam reſtitutam cuſtodiæ ſedulitate ſervare. v. 4.

Membri in corpore mortui abſciſſio potius eſt neceſſaria, quàm medicina. v. 5.

Adeſt miſer, adſit & miſericordia. v. 6.

Non ſufficit bene incipere, niſi ſtudeat quis in bono opere perſeverare.

v. 8. Sicut qui Diabolum ſequitur, ſanctorum collegium affectu & opere aſpernatur: ita qui Deo perfecte adhæſerit, impiorum conſortium nequaquam admittit.

v. 9. *Charitas* hinc vera eſſe oſtenditur, cum ille diligitur, qui adverſatur.

v. 10. Ille veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum.

Illud verum eſt apertæ deſperationis indicium, ſi verecundia non ſequitur peccatum.

Minus eſt de anteacta vita erubeſcere, niſi quis etiam ſtudeat ea quæ admiſit pœnitendo corrigere.

Per dolorem pœnitentiæ pervenitur ad converſionem vitæ.

Ille ad Deum convertitur, qui tam cogitatus ſuos, quàm etiam operationes ad Deum ſemper dirigere conatur.

Finis peccatorum mors eſt.

Non accepta ſunt Deo bona, quæ malorum admixtione maculantur. *In 2. Pſ. pœnit. v. 1.*

Sunt quædam peccata, quæ quamdiu in hac vita vivitur, etiam à perfectis viris aut vix aut nullatenus declinentur: quia omnino eſt impoſſibile ut in locutione aut etiam in cogitatione nunquam delinquant.

Si nobis peccata noſtra imputaverimus, non ea nobis imputat Deus. Si ea ſatisfaciendo puniremus, nullum qui nos in futuro puniat, inveniremus. *v. 2.*

Imputare ſibi Adam peccatum ſuum noluit, quando culpam ſuam in creatorem refudit dicens: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.*

Judicare ſeipſum nemo potuit, niſi qui virilem animum ad vitia perſequendum aſſumit.

Quid fortius, quam omnes animi ſui motus rationi ſubigere, omnia carnis deſideria ſpiritus virtute frænare, proprias voluntates abji-

cere, contemptis viſibilibus ea quæ non videntur amare?

v. 4. Tunc pœnitentis anima ad lamentum ducitur, cum perpetrata nequitia in memoria fixe retinetur.

v. 6. *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino:* Adverſum ſe confitetur, qui in peccati confeſſione ſibi non parcit: quicquid peccavit, non Deo imputat, non Deo annotat, non fortunæ attribuit: non Diabolo, non conſtellationi aſcribit.

Dixi: confitebor adverſum me injuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Attende quanta ſit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta miſericordiæ Dei commendatio, ut confitentis deſiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat pœnitentia, ante remiſſio ad cor perveniat, quàm converſio in vocem erumpat.

v. 7. Quanto electus quiſque majori ſanctitate præeminet, tanto

magis de his, ſine quibus hæc vita non ducitur, venialibus peccatis dolet.

Divinæ profecto pietatis diſpenſatione agitur; ut qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, ad humilitatis celſitudinem ſua melius infirmitate ſublevetur: quatenus unde parva reprehenſibilia humiliter patitur, inde verius in juſtitiæ virtute roboretur: & eo ſe in virtutis culmine erectus minimum ſentiat, quo ſuis viribus etiam parva, quæ eum impediunt, non expugnat.

Electi Dei orantes ut ad Deum perveniant, infirmitatis ſuæ inceſſanter exceſſus deplorant: & inde refectionis intimæ dulcedinem ſentiunt, unde vim ſuaviſſimi amoris per lacrymas emittunt.

In divinæ contemplationis claritate electorum mentes quanto graviores rerum temporalium tumultus tolerant, tanto in meditatione ſecuturæ in perpetuum felicitatis ſuavius exultant. Et cum v. 9.

cæperint eis mundanæ perverſitatis inæqualitates amareſcere, tunc primum poſſunt internam ſuavitatem ſentire.

Sancta anima divini amoris ſpiculis vulnerata, cum anhelare in Deo ceperit: cum ad ſupernam ſe Patriam per deſiderium extendit, ad tentationem ei vertitur quicquid in hoc ſæculo amicum antea blandumque putabatur: quia qui peccantem amare conſueverant, recte viventem crudeliter impugnant.

v. 10. Quamdiu hîc vivimus, in via ſumus, qua ad patriam tendimus. Maligni autem ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi cuſtodiunt, & operi noſtro inſidiantes, deceptionis ſuæ ubique laqueos tendunt. Facile ergo inter laqueos ambulantes labimur, niſi ſapientiæ Dei ducatu gubernamur.

v. 12. Plerumque qui præcepta de aure cordis audire renuunt, perſecutionum verberibus admonentur, ut ad virtutis amorem pœnarum

dolores pertrahant, quos æternæ vitæ præmia non invitant.

In hoc mundo deſpectus tanto celerius trahitur ad Deum, quanto nihil habet in ſæculo, ubi delectetur.

Sæpe amator præſentis ſæculi ab eodem, quem diligit, mundo deſpicitur & impugnatur.

Qui in amore cæleſtium fixus, v. 13.
ſæculum perfecte deſpexerit, nulli omnino vanitati ſuccumbit, nulla hunc adverſitas dejicit, nulla proſperitate corumpitur, flagellis proficit: quippe qui ea, aut quæ perpetravit peccata obliterat, aut quæ perpetrare poterat, futura devitat; & ſibi omnia fore exiſtimat proſpera, quæ à dilectoribus mundi putantur adverſa.

Flagellis proficit qui ea aut quæ perpetravit peccata obliterat, aut quæ perpetrare poterat futura devitat.

Qui terrenarum rerum amore v. 14.
vincitur, in Deo nullatenus delectatur.

Quanto quis ad temporalia acriori cura exarſerit, tanto magis ab æternis damnabili torpore frigeſcit.

Lætamini in Domino & exultate juſti. Juſtis ſolummodo ut in Domino lætentur dicitur: quia qui Deum toto corde non diligunt, in eo lætari, quamdiu ſæcularibus delectantur, non poſſunt. Scrip-

Iac. 4. tum eſt enim: *Quicumque amicus huius ſæculi eſſe voluerit, inimicus Dei conſtituitur.*

Juſti tantum in Domino exultant: quia ita extra mundum ſunt facti, ut nec proſperari in mundo cupiant, nec adverſa pati nullo tacti præſentium amore pertimeſcant.

Illa ſine dubio eſt vera gloria, quam nullius mæſtitiæ obtenebrat pœna.

In 3. Pſ. pœnit. v. 1. Scio futurum eſſe, ut poſt huius vitæ exitum, alij flammis expientur purgatorijs, alij ſententiam æternæ ſubeant damnationis. Sed quia illum tranſitorium ignem omni

omni tribulatione æſtimo intolerabiliorem, non ſolum in furore æternæ damnationis opto non argui, ſed etiam in ira tranſeuntis timeo correptionis purgari.

Jam nobis eſt naturaliter inditum, quod primo homini fuit pro culpæ vindicta illatum. v. 2.

Mortalitas & paſſibilitas ſunt ſagittæ; quæ nobis infixæ ſunt: quia quamdiu in præſenti ſæculo vivimus, ab eis liberari aliqua ratione nequimus.

Sudioſus magiſter frequenter verbere puerum corripit.

Corpus, ſi aliquando videatur v. 3. eſſe validum, ipſa ſua valetudine magis invenitur infirmum.

Omnes virtutes in conſpectu Dei vicaria ope ſe ſublevant, nec virtutes veræ ſunt, ſi à ſe invicem aliqua diverſitate diſcordant. Una enim virtus ſine altera, aut omnino nulla eſt, aut minima. Si enim aut caſtitatem humilitas deſerat, vel humilitatem caſtitas derelinquat, cum Deus deteſtetur tam

ſuperbiam quàm immunditiam, quomodo oculis ejus accepta erit caſtitas elata, vel humilitas immunda?

Quotidie peccatorum pœnam patior, quam in ipſa peccatorum facie contemplor.

Quia ſentio pœnam, recogito culpam.

v. 4. Cum Diabolicis anima ſubeſſe ſuaſionibus cæperit, quanto ſe hoſti callido crebrius ſubjicit, tanto eum ſibi intolerabiliorem facit; ut ei jam in nullo reſiſtere valeat, qui in uno ſui oblita aſſenſum præſtat.

Cum pulſare mentem culpa inchoat, peractam culpam quis finis ſequitur, attendat.

v. 6. Tanto unaquæque anima fit pretioſior ante oculos Dei, quanto fuerit deſpectior aute oculos ſuos.

Quid infelicius, quàm infelicitatem ſuam non cognoſcere?

Sicut phrenetici mentis alienationem tolerant, cum ſe non ſolum nihil pati, ſed etiam incolu-

mes putent : ita qui mortali carne circumdatus ærumnas præſentis vitæ non ſenſerit, à virtute ſapientiæ alienus exiſtit.

Innumerabiles humanæ dejectionis miſeriæ, ſicut corda juſtorum gravi triſtitiæ dolore convulnerant : ita iniquorum mentes ipſa importunitate delectant.

Columba pro cantu gemitum habet.

Sancti viri ſæculi blandimenta timentes & dolentes cum luctu & gemitu tolerant.

Inde ſanctus omnis cum dolore ingemiſcit, unde iniquus quiſque cum gaudio hilareſcit.

Salutem corporis redigimus in *v. 7.*
uſum vitiorum.

Nulla pars noſtri corporis intentata remanet, per quam nos peccati deſiderium non titillet.

Omnia corporis membra, quæ ad uſum vitæ accepimus, ad erroris materiam inclinamus. Oculos enim ad videndum obſcæna & turpia inflectimus. Aures libenter ad

audiendas detractiones accommodamus. Illecebras odoratus naribus haurire concupiſcimus. Iniquitatem in excelſo loquimur, & inter fratres diſcordias ſeminamus.

v. 8. Nimis humiliatus eſt, qui ex peccati pœna non ſolum cæleſtia non appetit, ſed etiam carnalibus & terrenis cum amore & delectatione intendit.

Plerumque tanto citius ad Deum anima convertitur, quanto longius ſe ab eo ſeparatam intuetur.

v. 9. Qui Deum amat, ipſum ſolum deſiderat. Qui autem eum deſiderat, ad ipſum cordis voce clamare non ceſſat.

Illud Deo non poteſt placere deſiderium, quod pravæ voluntatis commaculat additamentum.

Omne deſiderium in pœnam convertitur, ſi non cito evenerit quod optatur.

Quiſquis de Deo in corde deſiderium concipit, quia ſtatim quod

optat non obtinet, ingemiſcit.

Humanum cor ad omnem tentationis impulſum facile concutitur, ſi virtute conſtantiæ interius non firmatur. v. 10.

Fit nobis magnum conſolationis remedium, ſi illum etiam paſſionis noſtræ fieri participem cognoſcimus, quem laborum quos patimur, futurum remuneratorem ſperamus. v. 11.

Habet fidelis anima inimicos ſuos in hac vita: habet qui contra eam interius dimicent; habet etiam qui eam extrinſecus impugnent. v. 17.

Sancti viri in hac vita flagellari deſiderant, ut flagellis correcti, & imminentes culpas videant, & commiſſas ante oculos ponant. Sæpe enim delinquentes oculos flagella aperiunt, quos inter vitia inſolentiæ & ſecuritatis tenebræ concludunt. v. 18.

Supernæ patriæ deſiderijs accenſus mundo nequam & concupiſcentijs ejus moritur, nullis va-

nitatis mundanæ delectationibus occupatur.

v. 19. Electi culpas ſuas non ſolum voce confeſſionis denunciant, ſed etiam diſtrictæ animadverſionis eas fletibus abolere procurant.

v. 20. Si accepta quis pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, diſtrictus cum venerit judex, indulta miſericordiæ ſpatia convertit ad pœnam.

Nihil eſt iniquius, quàm odium pro dilectione rependere: mala pro bonis retribuere.

v. 21. Qui reddidit mala pro malis, bonus non eſt. Qui non reddit bona pro bonis, ingratus eſt. Qui autem reddit mala pro bonis, iniquus eſt.

Chriſti imitatores tanto in hac vita graviora tentamenta perferunt, quanto longius corde à mundo diſcedunt.

Juſti, quia ea quæ Dei ſunt, tota intentione deſiderant, & ſupra mundum facti, mundana omnia quadam virtute dominationis

conculcant, non ſolum in occulto cordis diabolicas infeſtationes tolerant, ſed etiam perverſorum malitiam decore ſuæ converſationis inflammant.

Neceſſario ſequitur, ut omni tentationi ſit ſubditus, quicumque à Deo fuerit derelictus. *v 22.*

Qui tentamenta Diaboli metuit, qui pati in hoc ſæculo adverſa pertimeſcit, ad Deum tota virtute ſe convertat: clamet ad Deum medullis cordis, & dicat: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus.* Quod verbum ſi cum affectu & deſiderio ſæpe replicare ſtuduerit, puto quod quandam in eo dulcedinem ſentiet, quam ſermo noſter explicare non valet.

Sæpe præſentia gaudia ſequuntur perpetua lamenta. *Præm. 4. Pſal. pænit.*

Sicut per fletus ad gaudia ducimur, ita per gaudia ad fletum pervenitur.

Quis ſanctior David? qui cum Saülis perſecutionibus urgeretur, non ſolum perſequentem occidere

non voluit, ſed ipſi perſecutori, cum ipſum occidere poſſet pepercit. Verum ubi devictis hoſtibus preſſuris caruit, homicidium adulterio incaute ſecurus adjecit.

In 4. Pſ. pænit. v. 1. Omnipotenti medico nihil eſt inſanabile, qui ſicut medetur ſine precio, ita ſalutem reſtituit verbo.

Deſperarem de vulnere, ſi non præſumerem de omnipotente.

v. 2. Per miſericordiam, miſerentis affectum intelligimus: per miſerationem vero ipſam miſericordiæ exhibitionem ſignamus, juxta

Pſ. 110. quod ſcriptum eſt: *Miſericors & miſerator Dominus.* Superfluum enim eſſet utrumque ponere, niſi eſſet varietas in ſignificatione.

Nemo eſt inſanabilior eo, qui ſibi ſanus videtur.

v. 3. Tanto quiſque gravius corruit, quanto antequam caderet, in conſpectu Dei altius aſcendit.

Sæpe dum quædam male geſta plangimus, ipſa vi amaritudinis ad diſcutiendos nos excitati, alia in nobis plangenda invenimus.

Admiſſa eo facilius oblivioni tradimus, quo ea vel nulla vel levia putamus. Sed ſuccreſcens amaritudo pœnitentiæ non ſolum majora peccata cordi noſtro congerit, ſed etiam minima quæque ad memoriam reducit.

Aquæ, quibus diluitur iniquitas, dona ſunt Sancti Spiritus: quæ, quaſi torrens, de ſupernis venientia, ſicut electorum corda ut germinent irrigant, ita etiam ab omni inquinamento carnis & ſpiritus emundant.

Quiſquis molitur lædere alium, prius proprio jaculo percutit ſemetipſum.

Scio quem invocem: juſtum invoco, qui & peccata odio habet, v. 4.
& iſta impunita non dimittit. Sicut ejus miſericordiam expeto, ita etiam juſtitiam ipſius attendo. Non ſic poſtulo miſericordiam accipere, ut velim ab eo juſtitiam tuam auferre. Nolo ut peccatum meum remaneat impunitum. Sic miſericordia eſt, ut peccato ignoſ-

cat : ſic juſtitia eſt, ut peccatum impunitum non tranſeat.

Deus ideo peccatores ſuſtinet, ut eis converſis minus inveniat quod condemnet.

v. 5. Deus ſolus juſte peccata ulciſcitur, quia ipſe ſolus eſt in quo non poteſt inveniri quod puniatur.

Homo homini non peccat, quia eum aut par aut gravior culpa inquinat.

v. 6. Carnalis delectatio pœna peccati eſt, quæ ex radice peccati ita contrahitur, ut nullus abſque illa in mundo generetur.

Confiteatur pœnitens de culpa quod meruit, ut conſequi valeat de pœna quod cupit.

v. 7. *Deus* ſine ultione delictum non deſerit. Aut enim hoc homo in ſe puniens perſequitur, aut poſtmodũ Deus diſtricto examine ulciſcitur.

Sive ſit magna, ſive parva iniquitas, niſi puniatur ab homine pœnitente, punientur à Deo judicante ſicut per quemdam ſa-
Iob. 9. pientem dicitur : *ſciens quia non*

arceres delinquenti. Delinquenti
ion parcitur, quia ſine vindicta
peccatum non relaxatur.

Qui non eſt ſecurus de munere
veniæ, non eſt vehemens in exe-
cutione vindictæ.

Chriſti humilitas, ipſa eſt quæ v. 8.
omnem in nobis reprimit contu-
maciam. Quis etenim jam dedig-
netur in mundo ſe pro Deo abji-
cere, cum audiat Dei filium oppro-
bria & deriſiones ſubjiſſe? Quis
ſupplicium pro Deo perpeti arbi-
tretur dedecus, cum ipſe Rex re-
gum & Dominus dominantium
morte tupiſſima propter nos ſit
condemnatus?

Quemadmodum corpus aqua
lavat à ſqualoribus ſordium, ita
gratia Sancti Spiritus animam pur-
gat à maculis peccatorum.

Candor nivis cito præterit.

Nulla pulchritudo, quæ ineſt
corpori, valet decori ſanctæ ani-
mæ comparari.

Sancti viri mundi gloriam men- v. 9.
tis deſpectu calcantes, omnes in

ſe carnales voluptates mortificant, ut in Deo poſtmodum perenniter vivant.

Qui peccata ſua ſemper habet præ oculis, merito rogat ut Deus faciem ſuam avertat ab ipſis.

v. 10. Non Deus peccata vlciſcitur, qui in occulto cordis de pravorum operum memoria affliguntur.

Delinquentium mala Deus videt, non ut approbet, ſed ut condemnet: non ut foveat, ſed ut puniat: non ut ſemper patiatur, ſed

Pſ. 33. ut in judicio ulciſcatur. *Oculi Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

v. 11. Si illum qui ab omni peccato mundus eſt, in cordis noſtri hoſpitio habere volumus, oportet primo ut illud ab omni vitiorum ſorde purgemus.

Non eſt virtutis humanæ ita ab illicitis motibus mundare animum, ut perſtrepentium voces non ſentiat cogitationum.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſ-

ceribus meis. Vide ordinem: primo cor mundum, deinde ſpiritum rectum Propheta à Deo requirit. Prius enim abrenunciandum eſt tibi omni peccato, & omnis à corde vitiorum fœditas eliminanda, ut omne quod agitur aut dicitur eo purum in conſpectu Dei ac lucidum appareat, quo ex bonæ intentionis origine quaſi de purro quodam modo fonte manat. Omnibus igitur carnalibus deſiderijs excluſis, pete à Deo ut ſpiritum rectum renovet, ne forte *Math. 12.* ſpiritus ille immundus inveniens domum, de qua exivit, vacantem, aſſumptis alijs ſeptem nequioribus ſe, cum eis ibi habitet, & fiant noviſſima tua pejora prioribus. Hæc eſt autem ſpiritus recti innovatio, ut omnem mundi gloriam mente deſpicias, mentem medullitus in conditoris tui amore infigas, illatis contumelijs patientiam cuſtodias, & cuſtodita patientia dolorem à corde repellas, omnibus te per humilitatem inferiorem deputes, de

morte inimici nullatenus exultes, aliena non ambias, propria egentibus diſtribuas, amicum in Deo, & inimicum propter Deum diligas, in affectione proximi te ipſum per compaſſionem affligas. Hæc quidem eſt illa ſpiritus innovatio, quam perſuadet Apoſtolus dicens:

Ephes. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate veritatis.*

v. 12. Remiſſio peccatorum opus ſpiritus ſancti eſt.

Ubi Spiritus ſancti præſentia eſt, deſperatio eſſe non poteſt.

v. 13. Qui gravium ſibi conſcius eſt delictorum, non poteſt fiducialiter agere.

Solet quibuſdam contingere, ut dum ſe purgatos per ſatisfactionem reputant, ab internæ mentis cuſtodia animum reſoluant. Qui quidem ipſa ſua elatione depreſſi, eo deterius corruunt, quo ſibi de indulgentia blandientes vanæ ſpei ſecuritatem promittunt. Inde eſt

quod Propheta exorat dicens : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Non dicit lætetur, ut ſecurum ſit, ſed lætetur ut timeat. Ac ſi aperte dicat : ita me correctum facito gaudere de venia, ut tamen nunquam deſinam eſſe ſuſpectus de culpa. *Pſ. 85.*

Infirma eſt omnis anima, niſi Sancti Spiritus fuerit virtute firmata.

Qui ad Paſſionem tendentem Magiſtrum fugientes reliquerant, poſtmodum per adjunctam Sancti Spiritus gratiam roborati conſtanter & publice nomen Chriſti prædicabant.

Hæc eſt charitatis evidens probatio, ut cui per gratiam Dei contigerit à peccatorum vinculis eripi, ipſe ex zelo juſtitiæ ſtudeat ad ſpem veniæ delinquentes hortari. *v. 14.*

Nullum tam gratum Deo eſt ſacrificium, quàm zelus animarum.

Non ſolum mane venientibus ad vineam merces promittitur :

ſed etiam circa undecimam horam vocatis vitæ æternæ denarius præbetur.

v. 15. Homini juſtum videtur ut ſuam ulciſcatur injuriam. Dei vero juſtitia eſt, confitenti relaxare offenſam.

v. 16. Illius labia Deus aperit, qui non ſolum quid loquitur, ſed etiam quando, & ubi, & cui loquatur attendit.

Illi ſoli laudis Dei poſſunt ſentire dulcedinem, qui peccatorum ſuorum meruerint percipere remiſſionem.

Quid laudabilius in Deo, quàm miſericordia? Quamvis enim laudabile ſit, quod hominem de limo terræ condidit, laudabilius tamen eſt quod perditum proprij filij ſui morte redemit.

v. 18. Nequaquam vere pœnitentiam agit, qui ex peccatorum ſuorum recordatione quandam ſpiritus tribulationem non ſentit.

Multi habent cor contritum, qui non habent cor humiliatum.

Ex

Ex ſuperbiæ vitio eſt timorem
Dei contemnere, conditoris præcepta pravæ actionis tranſgreſſione calcare, cæleſtis vitæ gaudia manſura negligere, damnationis perpetuæ infinita ſupplicia non timere.

Per amorem Dei ſanctus quiſque Hieruſalem civis efficitur. *v. 15.*

Sacrificium juſtitiæ ſancti in æterna vita Deo offerent: quia in ſolo Conditoris amore intenti, indefeſſas remuneratori ſuo in lætitia cordis laudes dicent. *v. 20.*

Altare Dei filius eſt. Ipſe eſt namque cui in hac vita cordium noſtrorum ſacrificia imponimus, & in quo cogitationes illicitas ne convaleſcant, mactamus. Ipſe altare, cujus clementiæ peccatorum victimas imponere præſumimus.

Nullus hominum in cælum aſcenderet, niſi filius Dei pro ſalute noſtra carnem ſumpſiſſet.

Sicut una eſt anima, quæ diverſa corporis membra vivificat; *In 5. Pſ. pœnit. v. 1.*

ita totam ſimul Eccleſiam unus Spiritus Sanctus vegetat & illuſtrat.

Sicut Chriſtus, qui eſt caput Eccleſiæ, de Spiritu Sancto conceptus eſt : ſic ſancta Eccleſia, quæ corpus ejus eſt, eodem Spiritu Sancto repletur ut vivat : ejus virtute firmatur, ut in unius fidei & charitatis compage ſubſiſtat. Illud eſt corpus, extra quod non viuificat ſpiritus. Unde dicit Auguſtinus : *ſi vis vivere de ſpiritu Chriſti, eſto in corpore Chriſti.* De hoc ſpiritu non vivit hæreticus, non vivit ſchiſmaticus, non vivit excommunicatus : non enim ſunt de corpore.

Eccleſia ſpiritum vivificantem habet, quia capiti ſuo Chriſto inſeparabiliter adhæret.

Pro membris orat caput, ut corporis ſui orationem Deus pater exaudiat, & ut ejus clamor ad divinæ majeſtatis aures aſcendat.

Quotidie orat Chriſtus pro Eccleſia.

Illi à Domino exaudiri merentur, qui divini zelo amoris accenſi, omnia quæ poſſunt bona operantur.

Qui perverſis actionibus aſſuetus, operibus iniquitatis invigilat, nequaquam dignus eſt exauditione cum orat.

Si volumus ut ad aures Dei noſtra perveniat oratio, ſtudeamus neceſſe eſt, ut ab omni admixtione pravitatis noſtra mundetur operatio.

Multi Deum vocant, ſed non invocant, quia labijs tantummodo, *v. 3.*
non cordis affectu orare procurant.

Sicut cordis oculos flagella *v. 4.*
aperiunt: ſic mentis aciem aliquoties ſucceſſus proſperi retundunt; adeo ut ſeipſam mens cognoſcere non valeat, quam proſperitatis mundanæ oblectatio captivat.

Habet & corpus Chriſti carnem ſuam, infirmos ſcilicet, virtutum carentes fortitudine, qui perfectorum indigent ſuſtentatione.

Sancti viri imperfectis delinquentibus condolent, & eorum infirmitati compatiuntur.

Perfecti quique carnalium infirmitatibus condolent.

v. 5. Primus homo peccando mortem incidit.

Panis noſter verbum Dei eſt.

v. 6. Habet in ſe unuſquiſque Adam & Evam. Sicut enim in illa prima hominis tranſgreſſione ſuggeſſit Serpens, delectata eſt Eva, conſenſit Adam: ſic & quotidie fieri videmus, dum ſuggerit Diabolus, delectatur caro, conſentit ſpiritus. Sicut autem peccatum illud ſubſecuta eſt mors, ſic & peccato conſentiens moritur anima: quia à vita ſua, quæ Deus eſt, ſeparatur.

Obſecro Domine Jeſu, ut cunctas meæ civitatis portas juſtitiæ facias: ut ingreſſus in eas confitear nomini tuo tuæque majeſtati cum juſtis per eas intrantibus, ut mors ibi aditus ingreſſum non habeat, paſſio non dominetur, ſed

occupet ſalus muros ejus, & portas illius laudatio.

Nullum aliquando ferre fructum poterit, qui ab unitate Eccleſiæ diſcedit. v. 10.

Ex peccato primi parentis accepimus, ut nec in ipſa juſtitia ſtabiles eſſe poſſimus.

Quid ſitit Deus niſi fidem noſtram?

Sole vergente ad occaſum umbræ creſcunt donec nox veniat, & lumen omnino diei deficiat. v. 12.

Gloria Chriſti reſurrectio eſt, per quam à Diabolo regnum abſtulit, & mortis deſtruxit imperium. Qui enim in morte viſus eſt infirmus, in reſurrectione apparuit glorioſus. v. 16.

Qui Deum toto corde diligunt, patrem ſe Deum habere evidenter oſtendunt. v. 19.

Filiorum eſt diligere, non timere.

Quæ in nobis ſunt ſanctitatis opera, ita ſunt ad proximorum ædificationem exterius trahenda,

dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quaſi infernorum eis aditum pandunt.

Hæc eſt vera Dei æternitas, & vera ejuſdem immortalitas, quod non ſolum nullius finis limite ſempiterna ejus virtus & divinitas concluditur: ſed quod poteſtas ac voluntas ipſius nullatenus imperfectionis cujuſque aut inconſtantiæ varietate permutatur. *v. 19.*

Activa vita in mundo verſatur: contemplativa vero ad cæleſtia erigitur. *Proœm. 6. Pſal. pœnit.*

Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. *v. 1.*

Eſto raptor, ut regnum cælorum accipias: eſto violentus, ut vim etiam ipſis inferas cælis. Quid hac rapina locupletius? Quid hac glorioſius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, ſed placatur: proximus non læditur, ſed juvatur: peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, qua non quæritur lucrum

cito periturum, ſed regnum acquiritur ſine fine manſurum. Diſcant qui res alienas divino poſtpoſito timore diripiunt, & rapinis pauperum magis peccata cumulare quàm lucra augere non ceſſant, aliquid rapere quo & veras ſibi vendicent divitias, & gloriam laudis perpetuæ acquirant: ne in hoc quoque ſtultitiæ arguantur, ſi cum poſſint pretioſa & æterna diripere, vilia ſolum & tranſitoria videantur auferre.

Movetur deſiderium, ſi nomen quod diligitur, replicatur.

v. 3. Peccati confeſſio juſtificat iniquum, tollit à Deo memoriam peccatorum.

Non geſtiamus reverti in Ægyptum, aut ſedere ſuper ollas carnium, nec ſimus corrupiſcentes malorum, nec idola mentis veneremur, nec Deum tentemus, nec in deſerto mundi hujus murmuremus.

Eſt confeſſio peccati, & confeſſio laudis. Si confeſſio laudis non

n eſſet, ſalvator noſter nequa- *Math.11*
am dixiſſet : *Confiteor tibi pater*
li & terræ. Nam quomodo pec-
tum confiteretur, qui peccatum
n fecit?

Qui veraciter diligit, læſus non *v. 4.*
dit, contumelijs vicem non red-
:, detrahentibus ſibi non detra-
:, qui eum oderunt non odit.

Maneamus in eo qui manet in *v. :*
ernum.

Qui manet in Verbo, non frau-
tur à regno.

Chriſti reſurrectio ſpei noſtræ *v. 6.*
ndamentum eſt.

Ad hoc mortuus eſt Chriſtus, ut
veremus : accepit à nobis, ut
ferret pro nobis. Moriendo mor-
n deſtruxit, reſurgendo vitæ
itum nobis patefecit.

Unicuique homini finis ultimus
æ mors ſua eſt.

Prophetia tribus modis fit : *Proœm.*
delicet verbis, factis, ſomnijs. *7. Pſal.*
uicumque enim Propheta futura *pœnit.*
notuit, aut verbis, aut factis, aut
mnijs prophetavit.

Ipſa antiquorum patrum geſta nobis prophetiæ ſunt, qui dum aliud agunt, aliud innuunt, occulta nobis quaſi per operis linguam produnt.

Sancta vniverſalis Eccleſia ſe-
v. 1. cundum digniorem partem ſui in ſpe cæleſtium præmiorum roborata, ſicut in electis habet quod conſervari deſideret, ita in infirmis invenit quod ſibi dimitti exoret: ſciens omnes divino egere auxilio, quos infelicis vitæ conditio anguſtat, cum & juſtus inter pericula ſecurus eſſe non valeat, & peccantẽ non niſi ſola gratia divinæ miſerationis abſolvat. Utrobique ergo pavida, utrobique ſuſpecta, & pro currentibus orat ut perveniant, & pro regreſſis obſecrat ut currant.

Quis gloriatur in juſtitia Dei, niſi qui nihil boni ſuis meritis tribuit, & juſtum eſſe quicquid adverſi tolera. ſentit?

Dei accuſat judicium, qui ſe
v. 2. æſtimat injuſte percuſſum.

Stultum eſt ab oratione defice-

ſi Deus differat, cum rogatur,
udire: & iniquum arguere con-
orem, ſi effectus non ſequitur
tionem, præſertim cum quid
mus ſicut oportet neſcimus.
nnullis quippe impatientibus
minus quod petebant ſæpe con-
ſit iratus: ſicut è contra Apo-
o negavit propitius. Dedit
m regem petentibus ſecundum
ideria eorum: Non igitur pro
gno quis habeat, ſi fuerit exau-
ıs, cum aliquid petat, quod
ı impetrare plus proſit. Quod ſi
tulata non obtinet, non ſe ab-
at, aut de divina erga ſe miſe-
ione deſperet, cum forte ea pe-
et, quibus acceptis vel affliga-
atrocius, vel inutilius proſpe-
ur.

Nullius Job delicti ſibi conſ-
s, injuſte ſe percuſſum ſe cre-
lit, quia merita ſibi augeri ex
rcuſſione neſcivit.

Ita in terra decipula ponitur, ut
poſita eſca, ipſa non videatur.
c antiquus hoſtis dum ſubruere

aliquem cupit, quaſi eſcam in muſcipula, lucrum in culpa ponit. Ad quod dum aviditatis amore viator inhiat, ex improviſo eum peccati laqueus ſuffocat.

Quid eſt peccatum niſi mors? mors namque eſt quæ animam à Deo ſeparat, ſenſuum internorum intercludit officia, divinam deturpat imaginem, lucis adimit claritatem.

v. 5. Neque tempore utiliter vivitur, niſi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur.

v. 6. Non ſufficit bene velle, niſi ſequatur & facere.

Vitiato in primo parente libero arbitrio, jam nec velle quidem bonum poſſumus, niſi illius gratia adjuvemur, apud quem greſſus hominis diriguntur.

Fidem ſine gratia Dei nemo habet.

v. 7 Non receptaculum ſpiritus Dei quiſquam efficitur, niſi ſpiritu ſuo primitus evacuetur.

Niſi quis à ſemetipſo deffi-

ciat, ad eum qui ſupra ipſum eſt, non appropinquat.

Petrus amare non fleviſſet, niſi v. 8.
Dominus reſpexiſſet.

Illi beatæ vitæ, in qua cum Deo v. 9.
& de Deo vivitur, nullus poteſt æquari labor, nulla opera comparari.

Quibus miſericorditer *Deus* tribuit ut in hac vita bene operentur, eis miſericordius largitur ut in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Hæc eſt gratia quam pro gratia dandam ſanctis Dei Apoſtolis perhibent, ut quibus in hac vita divinitus datur gratia ſanctificationis, eis ex hac quoque in futuro detur gratia æternæ felicitatis.

Cum ſpem ſuam quis in Deo poſuerit, ad exorandum Deum confidentior erit.

Parum *eſt* quod à nobis deficimus, niſi nos traſcendentes in Deo proficiamus.

Ad te, Domine, levavi animam v. 10.
meam. Beatus qui hoc poteſt di-

cere. Beatus plane quem iniquitas non onerat, non revocat delectatio, non inclinat voluptas, quem non gravat cupiditas, non deprimit opulentia, non trahit ambitio.

v. 11. Juſtum eſt ut Deo ſuo omnis homo ſerviat, creatura obediat creatori, Domini ſui mandata ſervus non tranſgrediatur.

v. 12. Qui à ſpiritu ſuo deficit, à ſpiritu Dei deducitur.

Non in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum. Non ad Deum ſecundum voluntatem noſtram erigitur, deducitur ad ima, trahitur ad devia.

Si in terram rectam cupimus ingredi, à ſpiritu Dei bono optemus deduci.

Non vivit juſtitiæ, niſi qui moritur iniquitati.

v. 13. Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum moleſtias, nulla eſt major afflictio, quàm conſcientia delictorum.

Juſtum eſt ut bonus ſervus à bono Domino adjuvetur. *v. 14.*

Quando vult timeri, Dominum: quando vult honorari, patrem: quando amari, ſponſum ſe nominat Dominus. *Proœm. in expoſ. Cant.*

Superna contemplatio non conſpicitur, niſi prius hæc infra labentia deſpiciantur. *Cantic.*

Quem divina gratia non adjuvat, moleſtia ſuæ corruptionis gravatur. *cap. 1.*

Non currit, qui non trahitur.

Spiritus ſanctus mentem, quam replet, obumbrat: quia omnem tentationum feruorem temperat: & dum aura ſuæ inſpirationis ſuaviter mentem tangit, quicquid noxij caloris ſuſtinebat, expellit: & quam jam forſitan nimius viriorum æſtus marcidam fecerat, umbra ſancti Spiritus protegens recreat, ut dum in ejus inſpiratione ſedens pauſat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robuſtius currat. *cap. 2.*

Arbor fructifera ipſe Chriſtus

in corde noſtro plantatus per fidem exiſtit, quam ſi mens noſtra digne diligit, & inſtanter excolit, fructus nimirum interius pulchros & utiles gignit. Quos dum mens capiens avide comedit, omnes mundi voluptates præ ejus dulcedine poſtponit.

In deſerto utique in hoc mundo, ſancta quæque anima vivit, dum à regno exul inter beſtias, Dæmones videlicet, degit.
cap. 3.

Sancta Anima, cum ſe ad cæleſtia majori deſiderio accendit, & à cordis cubiculo omnes ſuperfluas cogitationes ferventer abjicit, quaſi thuribulum cor ſuum coram Deo facit. In quo dum per dilectionem virtutes congregat, quaſi carbones in thuribulo coaptat, in quo ſeipſam mens in conſpectu Dei igne charitatis accendat. Dumque ferventes & mundas orationes ad Deum emittit, quaſi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut coram dilecto ſuave redoleat, & proximos quoſque ad

ejus amorem per bona exempla concitare non deſinat.

Bene procul dubio fortis ut *cap. 8.* mors dilectio eſſe perhibetur, quia dum per dilectionem à vitijs mortificamur, quod mors agit in ſenſibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui ſic diligunt Deum, ut omnia viſibilia negligant, & dum in æterna mente tendunt, ad omnia temporalia pene inſenſibiles fiunt. In his nimirum ut mors dilectio fortis exiſtit, quia ſicut mors exteriores corporis ſenſus ab omni proprio & naturali appetitu interficit, ſic dilectio in talibus viris omnia terrena deſideria contemnere mentem alias intentam compellit.

Opus quod ſancto deſiderio incipitur, ſi conſtantia mentis uſque ad finem non tenetur, ſine fructu habetur.

Sæpe inter quotidianas delicias *Præfat. in Ezel.* etiam viliores cibi ſuaviter ſapiunt.

In Ezechiel. Homil. lib. 1. Homil. 1.

Spiritus prophetiæ nec ſemper nec eodem modo Prophetæ animum tangit. Aliquando enim ſpiritus prophetiæ ex præſenti tangit animum prophetantis, & ex futuro nequaquam tangit: Aliquando ex futuro tangit, & ex præſenti non tangit: Aliquando ex præſenti & ex futuro tangit: Aliquando autem ex præterito & ex præſenti, atque ex futuro pariter tangitur animus prophetantis: Aliquando tangit ex præterito prophetiæ ſpiritus, nec tangit ex futuro: Aliquando autem tangit ex futuro, nec tangit ex præterito: Aliquando in præſenti ex parte tangit, & ex parte non tangit: Aliquando in futuro ex parte tangit, & ex parte non tangit.

Aliquando prophetiæ ſpiritus Prophetis deeſt, nec ſemper eorum mentibus præſto eſt.

Aliquando Prophetæ ſancti, dum conſuluntur, ex magno uſu prophetandi quædam ex ſuo ſpiritu prophetant, & ſe hæc ex pro-

hetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur: ed quia ſancti ſunt, per Sanctum piritum citius correcti, ab eo quæ era ſunt audiunt, & ſemetipſos uia falſa dixerint, reprehendunt. *Hujusce rei exemplum in Nathan 6. Reg. 7 affert S. Greg.*

Inter Prophetas veros ac falſos ſta diſtantia eſt: quia Prophetæ eri ſi quid aliquando per ſuum piritum dicunt, hoc ab auditorum nentibus per Spiritum Sanctum ruditi citius corrigunt. Prophetæ utem falſi, & falſa denunciant, & lieni à Sancto Spiritu, in ſua falſitate perdurant.

Divina miſericordia, ex una eademque re, ex qua carnalibus dat agellum, ex ea ſpiritalibus virtutis *præſtat* incrementa. Cumque los per tribulationem purgat, iſtos ex ſocietate tribulantum ad majora promerenda excitat. Et ſic injuſtis iraſcitur, ut amen eorum corda per juſtorum onſortium conſoletur, ne ſi omni nodo deſerat, nullus poſt culpas d veniam redeat. Tenendo igitur epellit, & repellendo tenet, quan-

do cum his, quos judicat, ſimul in tribulationem mittit quos amat.

Culpas inſequitur *Deus*, & tamen peccantes protegit. Sic plerumque parvulo filio delinquenti iraſcitur mater, reprehendit, increpat, verberat : ſed ſi hunc in præceps ire conſpexerit, ubi in mortis periculum ruat, manum tendit & retinet, & quæ ſic irata verberaverat, ac ſi non diligeret, ſic diligenter retinet, ac ſi irata non verberaſſet.

Hom. 3. Quo ad uſque infirmi ſumus, continere nos intra noſmetipſos debemus, ne dum tenera bona citius oſtendimus, amittamus : quia & arbuſta plantata ſi prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius areſcut. At ſi ſemel radicem fixerit, manus tangit, & tamen nihil officit : venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et conſtructi parietes ſi impellantur, eruuntur, niſi à ſuo prius fuerint humore ſiccati.

Ad exemplum non ſunt oſten-

denda, niſi quæ firma ſunt. Prius etenim convaleſcere debet mens, atque ad utilitatem proximorum poſtmodum demonſtrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percuſſa contabeſcat.

Arbuſtum ſine radicibus, dum pluſquam tolerare valet, concutitur, *areſcit.*

Miracula in exemplo operationis non ſunt trahenda.

Omne peccatum grave eſt, quia non permittit animum ad ſublimia levari.

Qui alios ad iniquitatem ſuadendo pertrahunt, in ſemetipſos miniſterium Dæmonum ad iniquitatem ſuſcipiunt, quamvis Dæmones per naturam non ſint.

Quando corda Doctorum tenet, monti teſtamenti Diabolus præſidet.

Cum jubente Domino frigidus ſpiritus recedit, calidus ſpiritus mentem fidelium occupat.

Surge aquilo, & veni auſter, *Cant. 4.*

perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Recedente Aquilone, id eſt, maligno ſpiritu, Sanctus Spiritus mentem quaſi auſter replet. Qui dum calefaciendo flaverit, ſtatim de fidelium cordibus aromata virtutum fluunt.

Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?*

Ignis in terram mittitur, cum per ardorem Sancti Spiritus afflata terrena mens à carnalibus ſuis deſiderijs concrematur.

Spiritus Sanctus cor, quod replet, elevat.

Hom. 3. Scire cuiquam quod non poteſt facere, pœna magis quàm virtus eſt.

Duæ ſunt ſanctorum prædicatorum vitæ: activa ſcilicet & contemplativa: ſed activa prior eſt tempore, quàm contemplativa, quia de bono opere tenditur ad contemplationem. Contemplativa autem major eſt merito quàm activa: quia hæc in uſu præſentis operis laborat, illa vero ſapore intimo

venturam jam requiem deguſtat. Et quamvis activa bona ſit, melior tamen eſt contemplativa: quia iſta cum mortali vita deficit, illa vero in immortali vita plenius excreſcit.

Sine contemplativa vita intrare poſſunt ad cæleſtem patriam, qui bona quæ poſſunt operari non negligunt. Sine activa autem intrare non poſſunt, ſi negligunt bona operari, quæ poſſunt. Illa ergo in neceſſitate, hæc in voluntate eſt. Illa in ſervitute, iſta in libertate.

Tunc in nobis vera libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio noſtra pervenerit.

Pondus & pondus, menſura & menſura: utrumque abominabile eſt apud Deum. *Prov. 20.* Scimus quia in negotiatorum duplici pondere, aliud *Hom. 4.* majus, aliud minus eſt. Nam aliud pondus habent, ad quod penſant ſibi, & aliud pondus ad quod penſant proximo. Ad dandum pondera leviora, ad accipiendum vero pondera graviora præparant,

Omnis itaque homo, qui aliter penſat ea, quæ ſunt proximi, & aliter ea quæ ſua ſunt, pondus & pondus habet Utrumque ergo abominabile eſt apud Deum: quia ſi ſic proximum ut ſe diligeret, hunc in bonis ſicut ſe amaret. Et ſi ſic ſe ſicut proximum aſpiceret, ſe in malis ſicut proximum judicaret.

Hom. 5. Plerumque impetus carnis ſe ſub velamine ſpiritalis impetus palliat, & quod carnaliter facit, mentitur ſibi ipſa cogitatio, quia hoc ſpiritaliter faciat.

Graviores culpæ ſunt, quæ ſuperducta ſpecie virtutes imitantur: quia illæ in aperto cognitæ animum in confuſionem dejiciunt, atque ad pœnitentiam trahunt: iſtæ vero non ſolum in pœnitentiam non humiliant, ſed etiam mentem operantis elevant, dum virtutes putantur.

Cum carnalis mens Spiritum Sanctum accipit, ſpiritali amore ſuccenſa malũ plangit, quod fecit.

Quod deſignavit teſtamentum vetus, hoc teſtamentum novum exhibuit. *Hom. 6.*

Ineſt teſtamento veteri teſtamentum novum.

Scriptura ſacra in vtroque teſtamento & admonendo recta eſt, & promittendo alta, & minando terribilis.

Quicquid agitur, id radice intentionis penſandum eſt, quo merito apud judicium Creatoris habeatur. *Hom. 7.*

Sæpe ſuperbia excedit in verbis, & audiri appetit libertas puritatis.

Aliquando timor reſtringit animum, & loqui quæ recta ſunt non præſumit; ſed tamen in ipſa timida cogitatione humilitatem eſſe ſe ſimulat.

Plerumque tenacia parcimonía appetit æſtimari, ut juſte ac neceſſario videatur tenere, quicquid egenti proximo miſericorditer non vult impendere.

In noſtro bono opere aliquan-

do cavendum eſt ſcandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum.

Mat. 15.

Magiſtra veritas ne in quorumdam cordibus ſcandalum gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. Et rurſum quia generari ſcandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in ſuo eos ſcandalo remanere permiſit. Ex qua re nobis conſiderandum eſt, quia in quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus. Si autem de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas relinquatur.

Mat. 17.

Quid prodeſt, quod contra hoſtium inſidias pene tota civitas caute cuſtoditur, ſi unum foramen apertum relinquitur, unde ab hoſtibus intretur? Quid prodeſt cuſtodia, quæ pene ubique circumponitur, quando inimicis tota civitas per neglectum loci unius aperitur? Phariſæus, qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo

gratias retulit, quaſi pene per circuitum in ſuæ civitatis cuſtodia vigilavit. Sed quia unum in ſe foramen ſuperbiæ non attendit, ibi hoſtem pertulit, ubi per negligentiam oculum clauſit.

Unuſquiſque ſanctorum quanto ipſe in Scriptura ſacra profecerit, tanto hæc eadem Scriptura ſacra proficit apud ipſum.

Niſi legentium mentes ad alta profecerint, divina dicta velut in imis non intellecta jacent.

Fit ut ſcripturæ ſacræ verba eſſe cæleſtia ſentias, ſi accenſus per contemplationis gratiam temetipſum ad cæleſtia ſuſpendas.

Mira atque ineffabilis ſacri eloquij virtus agnoſcitur, cum ſuperno amore legentis animus penetratur.

Verba ſacri eloquij juxta ſenſum legentium per intellectum creſcunt. In una enim eademque ſcripturæ ſententia, alius ſola hiſtoria paſcitur, alius typica, alius vero intelligentiam per typum

contemplativam quærit. Et ſit plerumque, ut in una eademque ſententia cuncta ſimul tria valeant inveniri.

Nemo ſanctorum ad Cæleſtem gloriam, niſi patientiam ſervando pervenit.

2. *Reg.* 12. Rex reprehenſus à Propheta, quia ſubjectus cæleſti Regi non fuit, ſubjecto increpanti non erubuit confiteri quod fecit.

Luc. 18. Publicanus, qui reatum ſuæ nequitiæ cognovit, etſi injuſtus ad templum venit, juſtificatus à templo rediit.

Luc. 23. Latro, qui in cruce cognovit culpam, in ipſa jam morte invenit veniam.

Juſtificationes præcepta Domini dicuntur, in quibus nos corrigendo juſtificat.

In quotidiana noſtra pœnitentia habemus ſacerdotem in cælis qui interpellat pro nobis. De quo etiam per Joannem dicitur: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chri-*

um juſtum : Ecce exultat animus, cum advocati noſtri potentiam audimus. Sed exultationem noſtram iterum removebit timor, quia ipſe qui nobis advocatus eſt, dicitur juſtus. Nos enim cauſas injuſtitiæ habemus, juſtus vero advocatus injuſtas cauſas nullo modo ſuſcipit, nec verba dare pro injuſtitia conſentit. Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, & deſeramus, & accuſemus. Scriptum eſt : *Juſtus in principio accuſator eſt ſui.* Prov. 18 Quilibet enim peccator converſus in fletibus, jam juſtus eſſe inchoat, cum cæperit accuſare quod fecit. Cur enim juſtus non ſit, qui contra ſuam injuſtitiam jam per lacrymas ſævit? Juſtus igitur advocatus noſter juſtos nos defendit in judicio : quia noſmetipſos & cognoſcimus & accuſamus injuſtos.

Omnis, qui pœnitendo corrigit Hom. 8. aliqua quæ fecit, eo ipſo quo pœnitet, ſe ſibi diſplicuiſſe judicat, quia emendat quod fecit.

Hom. 9. Bona noſtra & omnipotentis Dei ſunt, & noſtra: quia ipſe nos aſpirando prævenit ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur, ne inaniter velimus, ſed poſſimus implere quæ volumus.

Præveniente gratia, & bona voluntate ſubſequente, hoc quod omnipotentis Dei donum eſt., fit meritum noſtrum.

Niſi aliquid de æternitate in mente videremus, nunquam in facie noſtra pœnitendo caderemus.

Adhuc nobis in infirmitatis confuſione jacentibus præberi non debet auctoritas prædicationis. Sed cum jam in bono opere ſurgimus, cum jam recti ſtare cæperimus, dignum eſt, ut ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus.

Rectam fidem recta ſubſequi debet operatio.

Sicut duobus modis à Domino receditur, ita duobus modis à Deo apoſtatæ homines fiunt. Nam

unuſquiſque à Conditore ſuo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui à fide recedit apoſtata eſt: ita qui ad perverſum opus, quod deſerit, redit, ab omnipotente Deo apoſtata abſque ulla dubietate deputabitur, etiam ſi fidem tenere videatur. Unum enim ſine altero nil prodeſſe valet, quia nec fides ſine operibus, nec opera adjuvant ſine fide, niſi fortaſſe pro fide percipienda fiant: ſicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri, quam fidelis exiſteret. *Act. 10.*

Quia omnes, qui in Deo vivimus, organa veritatis ſumus, ut ſæpe per alium mihi, ſæpe vero alijs loquatur per me: ſic nobis boni verbi ineſſe auctoritas debet, ut & is, qui præeſt, dicat recta jubere, & is qui ſubeſt, inferre bona humiliter non recuſet.

Bonum, quod majori à minore dicitur, tunc vere bonum eſt, ſi humiliter dicatur.

Ineſſe ad loquendum priori humilis auctoritas, ineſſe autem

minori libera humilitas debet.

Aliquando, qui per tumorem elationis loquitur, & loqui ſe per auctoritatem libertatis exiſtimat: & aliquando alius per ſtultum timorem tacet, & tacere ſe per humilitatem putat. Ille locum ſui regiminis attendens, non metitur ſenſum tumoris: iſte locum ſuæ ſubjectionis conſiderans timet dicere bona, quæ ſentit, & ignorat quantum charitatis reus efficitur tacendo. Sic vero ſub auctoritate ſuperbia, & humanus timor ſub huhumilitate ſe palliat: ut ſæpe nec ille valeat conſiderare quid Deo, nec iſte quid debeat proximo. Nam ille eos, qui ſibi ſubjecti ſunt, conſpicit, & ei cui omnia ſubjacent, non intendit: in elatione attollitur, & de elatione ſua velut de auctoritate gloriatur. Iſte vero nonnunquam dum timet, ne majoris gratiam amittat, atque per hoc aliquid damni temporalis ſuſtineat, recta quæ intelligit, occultat, atque apud ſe tacitus ipſum timorem,

timorem, quo conſtringitur, humilitatem nominat. Sed cum cui nil vult dicere, tacendo in cogitatione dijudicat. Fitque ut unde ſe humilem exiſtimat, inde grauius ſit ſuperbus. Diſcernenda ergo ſemper ſunt libertas & ſuperbia, humilitas & timor: ne aut timor humilitatem, aut ſuperbia libertatem fingat.

Stultum valde eſt, ſi illis placere quærimus, quos non placere Domino ſcimus.

Perverſorum derogatio vitæ noſtræ approbatio eſt, quia jam oſtenditur nos aliquid juſtitiæ habere, ſi illis placere incipimus, qui non placent Deo.

Nemo poteſt in vna eademque re omnipotenti Domino atque eius hoſtibus gratus exiſtere.

Deo amicum ſe denegat, qui ejus placet inimico.

Inimicis veritatis adverſabitur, qui eidem veritati in mente ſubjugatur.

Sancti viri in vocis liberæ incre-

patione ſuccenſi, eos ad ſua odia excitare non metuunt, quos Deum non diligere cognoſcunt.

In omne quod de nobis dicitur, ſemper taciti recurrere ad mentem debemus, interiorem teſtem & judicem quærere. Quid enim prodeſt, ſi omnes laudent, cum conſcientia accuſet? Aut quid poterit obeſſe, ſi omnes nobis derogent, & conſcientia ſola nos defendat?

Arundo vento agitata, modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur. Omnis autem infirmus animus, qui vel derogatione dejicitur, vel laudibus exaltatur, arundo vento agitata eſt. Quod Joannes non erat, quia inflexibilem mentis verticem inter laudes hominum & derogationes tenebat.

Linguas detrahentium ſicut noſtro ſtudio non debemus excitare ne pereant; ita per ſuam malitiam excitatas, debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum creſcat. Aliquando etiam compeſcere, ne

um de nobis mala diſſeminant,
orum, qui audire nos ad bona
oterant, corda innocentium cor-
ampant.

Hi, quorum vita in exemplo
mitationis eſt poſita, debent ſi
oſſunt detrahentium ſibi verba
compeſcere, ne eorum prædicatio-
nem non audiant, qui audire po-
terant, & in prauis moribus re-
manentes, bene viuere contem-
nant. Sed in hac re, ſubtili inqui-
ſitione neceſſe eſt, vt ſemetipſum
animus inueſtiget, ne fortaſſe ſuæ
laudis gloriam quærat, & anima-
rum lucra ſe quærere noſtra cogi-
tatio ſimulet. Sæpe enim ſui nomi-
nis laude animus paſcitur, & quaſi
ſub obtentu lucrorum ſpiritualium
cum de ſe bona dici cognouerit,
lætatur. Et ſæpe ſuæ gloriæ defen-
ſione contra detrahentes iraſcitur,
& fingit ſibimet, quod hoc ex eo-
rum zelo faciat, quorum corda à
bono itinere detrahentis ſermo
perturbat.

Juſti atque perfecti aliquando

virtutes ſuas prædicant, bona quæ divinitus acceperunt, narrant; non ut ipſi apud homines ſua oſtentatione proficiant, ſed ut eos quibus prædicant, exemplo ſuo ad vitam trahant. Quod perfecti cum faciunt, id eſt, cum virtutes proprias loquuntur, in hoc quoque omnipotentis Dei imitatores ſunt, qui laudes ſuas hominibus loquitur, vt ab omnibus cognoſcatur. Si virtutes ſuas omnipotens Deus taceret, eum nullus agnoſceret: ſi eum nullus amaret, nullus ad vitam rediret. Unde & per Pſalmi-
Pſ. 118. ſtam de eo dicitur: *Virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo, vt det illis hæreditatem gentium.* Virtutes ergo ſuas annuntiat, non ut laudibus ſuis ipſe proficiat; ſed ut hi qui hunc ex ſua laude cognoverint, ad perpetuam hæreditatem veniant.

Juſti atque perfecti non ſolum, cum vituperationis ſuæ verba reprehendunt, ſed etiam cum virtutes, quas habent, infirmis loquun-

ur,reprehenſibiles non ſunt; quia
er ſuam vitam, quam referunt,
liorum animas ad vitam quæ-
int. De quibus tamen ſciendum
ſt, quia nunquam bona ſua dete-
unt, niſi eos aut proximorum
tilitas, aut certè nimia neceſſitas
ogat.

Juſti ſicut ſine arrogantia lo-
uuntur aliquando bona quæ
gunt, ita ſine zelo priuatæ gloriæ
etrahentium ſibi linguas redar-
uunt, quia noxia loquuntur.

Cum linguæ derogantium cor-
gi nequeunt, æquanimiter ſunt
er omnia tolerandæ.

His pœna ſua non ſufficit, qui
gunt ne ſoli moriantur.

Scorpio palpando incedit, ſed
auda ferit. Nec mordet à facie,
ed à poſterioribus nocet. Scor-
iones ſunt omnes blandi & mali-
oſi, qui bonis quidem in faciem
on reſiſtunt, ſed mox vt receſſe-
int derogant: ſcorpiones ſunt qui
landi & innoxij in facie videntur;
ed poſt dorſum portant, vnde

venenum fundant.

Circumdederunt me ſicut apes. Pſ. 117. Apes in ore mel habent, in aculeo caudæ vulnus. Et omnes qui lingua blandiuntur, ſed latenter ex malitia feriunt, apes ſunt: quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, ſed occultè feriendo vulnus inferunt.

Sæpe tædet viuere, dum nolumus cum malis habitare. Querimur cur non omnes boni ſunt, qui nobiſcum viuunt. Mala proximorum ferre nolumus, omnes ſanctos jam debere eſſe decernimus, dum eſſe nolumus, quod ex proximis portemus.

Neque perfectè bonus eſt, niſi qui fuerit & cum malis bonus.

Si deſit ſpiritus, non adjuuat locus.

Loth in Sodomis ſanctus extitit, in monte peccauit.

Quia loca mentem non muniunt, ipſe humani generis primus teſtatur Parens, qui & in Paradiſo cecidit.

Si locus ſalvare potuiſſet, Satan

le cælo non caderet.

Pſalmiſta ubique in hoc mundo ribulationes eſſe conſpiciens, quæſivit locum quo fugeret, ſed ine Deo invenire non potuit munitum. Ex qua re & ipſum ſibi locum fieri petiit, propter quem locum quæſiuit, dicens: *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias.* Pſ. 130.

Tolerandi ubique ſunt proximi, quia Abel fieri non poteſt, quem Caïn malitia non exercet.

Unum eſt, pro quo vitari ſocietas debet malorum, ne ſi fortaſſe corrigi non valent, ad imitationem trahant: & cum ipſi à ſua malitia non mutantur, eos qui ſibi conjuncti fuerint, pervertant.

Sicut perfecti viri perverſos proximos non debent fugere, quia & eos ſæpe ad rectitudinem trahunt, & ipſi ad perverſitatem nunquam trahuntur: ita infirmi quique ſocietatem declinare debent pravorum, ne mala quæ frequenter aſpiciunt, & corrigere non va-

lent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie ſumimus in mente, ſicut flando atque reſpirando aërem trahimus corpore. Et ſicut malus aër aſſiduo flatu tractus inficit corpus: ita perverſa locutio aſſidue audita, infirmantium inficit animum, ut tabeſcat delectatione praui operis, aſſidui iniquitate ſermonis.

Liber ſacri eloquij intus ſcriptus eſt per allegoriam, foris per hiſtoriam: intus per ſpiritalem intellectum, foris autem per ſenſum litteræ ſimplicem, adhuc infirmantibus congruentem: intus, quia inviſibilia promittit: foris, quia viſibilia præceptorum ſuorum rectitudine diſponit: intus, quia cæleſtia pollicetur; foris autem, quia terrena contemptibilia, qualiter ſint vel in uſu habenda, vel ex deſiderio fugienda, præcepit.

Juſtorum afflictio temporalis eſt.

Si adhuc præſenti ſæculo mente

inhæres: ſi adhuc terrenis voluptatibus delectaris, amare non potes gaudia æterna quæ audis.

Nec nos noſtrorum vulnerum multitudo in deſperationem deprimat: quia major eſt potentia Medici, quàm magnitudo langoris noſtri.

Quicquid in ſacra Scriptura invenitur, edendum eſt: quia & ejus parva ſimplicem componunt vitam, & ejus magna ſubtilem ædificant intelligentiam. *Hom. 13.*

Scriptura ſacra cibus & potus eſt. In rebus obſcurioribus quæ intelligi nequeunt niſi exponantur, Scriptura ſacra cibus eſt: quia quicquid exponitur ut intelligatur, quaſi manditur vt glutiatur: in rebus verò apertioribus potus eſt; potum enim non mandendo glutimus.

Verba Dei ad hoc intelligenda ſunt, ut & nobis proſint, & intentione ſpiritali aliis conferantur.

Solet per ebrietatem bibentium ſenſus mutari.

Semetipſum abnegat, qui mutatur ad meliora, & incipit eſſe quod non erat, & deſinit eſſe quod erat.

Ipſi de omnipotente Domino ſciunt ſuauiter loqui, qui hunc didicerint in cordis ſui viſceribus veraciter amare.

In ejus ore Scriptura ſacra dulcis eſt, cujus vitæ viſcera mandatis illius replentur: quia ei ſuavis eſt ad loquendum, cui interius impreſſa ad viuendum fuerit.

Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conſcientiam remordet.

Neceſſe eſt ut qui verbum Dei loquitur, prius ſtudeat qualiter vivat, ut poſt ex vita colligat quæ & qualiter dicat. Ad prædicandum namque plus conſcientia ſancti amoris ædificat, quàm exercitatio ſermonis: quia amando cæleſtia, intra ſemetipſum prædicator legit, quomodo perſuadeat ut deſpici debeant terrena.

Quiſquis expoſitor in explana-

one ſacri eloquij ut fortaſſe au-
toribus placeat, aliquid men-
endo componit, ſua & non Do-
ini verba loquitur, ſi tamen pla-
endi vel ſeducendi ſtudio mentia-
r. Nam ſicut in verbis dominicis
rtutem requirens, ipſe aliter
uàm is per quem prolata ſunt,
nſerit, etiam ſi ſub intellectu
io ædificationem charitatis re-
uirat, Domini ſunt verba quæ
rrat: quia ad hoc ſolum Deus
r totam nobis ſacram Scriptu-
m loquitur, ut nos ad nos ſuum
oximi amorem trahat.

Quibuſdam prauis mentibus nil
laborioſius, quàm ſi eis præci-
tur, ut in hujus mundi actibus
on laborent.

Sicut verecundia laudabilis in
alo, ita reprehenſibilis eſt in
ono.

Erubeſcere malum, ſapientiæ
: bonum vero erubeſcere, fatui-
tis.

Ille recte loquitur, qui prius
ediendo fecerit, quæ loquendo

admonet eſſe facienda.

Ibi inhabitat Deus, ubi vera pax quæritur, internæ contemplationis gloria amatur.

Locus gloriæ Dei, vel ſancta quæque anima, vel unuſquiſque in cæleſtibus permanens Angelicus ſpiritus.

Plerumque in ſacro eloquio adeo aliquid obſcure dicitur, ut diſpenſante mirabiliter Deo, multipliciter exponatur.

Aliud eſt eleemoſynam ex præcepto facere, atque aliud ex charitate. Ex præcepto enim facere bonum, inchoantium eſt: ex charitate autem bonum, perfectorum; quia non ſolum quia jubetur faciunt, ſed etiam diligunt faciendo quod jubetur.

Mandata Dei pro juſſione facere, ſeruientis & obedientis eſt: diligendo hæc facere, obedientis & amantis.

Omnes Sancti ſe invicem ſuis virtutibus tangunt, & ſeſe ad profectum excitant ex conſideratione

tutis alienæ. Non enim uni dan-
: omnia, ne in ſuperbiam elatus
dat. Sed huic datur quod tibi
n datur, & tibi datur quod illi
negatur: ut dum iſte conſiderat
num quod habes, & ipſe non
bet, te ſibi in cogitatione præ-
at: & rurſum dum te habere
im conſpicis, quod ipſe non
bes, te illi in tua cogitatione
ſtporas, & fiat quod ſcriptum
: *Superiores ſibi invicem arbi-* *Philip. 2*
ntes.
Mira diſpenſatione omnipotens
us ſic in electis ſuis dona diſ-
nſat, ut & iſti det quod illi de-
gat, & alteri majus quod alteri
nus tribuit: quatenus dum vel
habere illum conſpicit, quod
e non habet: vel ille hunc ma-
accepiſſe conſiderat, quod ſibi
nus adeſſe penſat, dona Dei
er in altero, id eſt, viciſſim om-
admirentur, atque ex hac ipſa
nitatione humilietur alter al-
i: & quem videt habere quod
n habet, etiam divino judicio

ſibi prælatum putet.

Hoc omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum: poterat namque uni cuilibet regioni fructus omnes tribuere: ſed ſi una quælibet regio alterius regionis fructu non indigeret, communionem cum altera non habuiſſet. Unde fit ut huic vini, alij vero olei abundantiam tribuat. Hanc multitudine pecudum, illam vero vbertate abundare fructuum: ut cum illa defert quod iſta non habet, & iſta reddit quod illa non detulit, per communionem gratiæ ſibi ſimul etiam diviſæ terræ conjunctæ ſint. Sicut ergo regiones terrarum, ita ſunt mentes Sanctorum, quæ dum viciſſim ſibi conferunt quod acceperunt, quaſi fructus ſuos regiones regionibus impendunt, ut in una omnes charitate jungantur.

Electi quique hoc ſemper in aliis attendunt, quod à Deo melius acceperunt quàm ipſi, ut eos ſibi in cogitatione præferant, ſe-

e illis in humilitate ſubſternant.
Reprobi ſemper conſiderant
na quæ ipſi habent, & alij non
bent: & nunquam perpendere
ident quanta bona alij habeant,
ipſi non habent.
Neceſſe eſt, fratres chariſſimi,
in vobis hoc ſemper debeatis
ſpicere, quod minus habetis: in
roximis vero hoc quod amplius
vobis acceperunt, quatenus dum
uper voſmetipſos eos pro bono
quod ipſi habent, & vos non ha-
betis, aſpicitis, ad hoc quoque
obtinendum etiam vos ex humili-
tate creſcatis.

Duæ ſunt commotiones magnæ,
quibus corda noſtra commoven-
tur. Una quippe commotio ex ti-
more eſt, altera ex charitate: una
eſt ex luctu pœnitentium, alia ex
fervore amantium.

Quanto auditores in charitate
atque intellectu proficiunt, tanto
ſanctis Prædicatoribus major gra-
tia Spiritus datur.

Mentem quam Spiritus Sanctus

replet, in amaritudinem temporalium delectatione ęternorum commovet.

Dulce eſt eſſe in rebus humanis, ſed ei qui adhuc de cæleſtibus gaudia nulla guſtavit: quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requieſcit.

Cæleſtia cognoſcentes, terrenis animum ſubdere dedignantur.

Quanto magis æterna cognoſcimus, tanto magis eſſe nos in hujus exilij miſeria dolemus.

Si æterna jam ſapimus, concupiſcere temporalia dedignamur: ſi æterna jam ſapimus, noſmetipſos deſpicimus egiſſe hoc quod nos potuit ab æternitatis amore ſeparare.

Cum ſermo Dei in ore cordis dulcis eſſe cœperit, procul dubio contra ſemetipſum animus amareſcit.

Hom. 11. Inter cætera Prophetiæ miracula hoc quoque mirandum habent libri Prophetarum, quod ſicut in

eis

eis verbis res, ita nonnumquam verba rebus exponuntur, ut eorum non ſolum dicta, ſed etiam res geſtæ Prophetiæ ſint.

Ferrum cum ferro jungitur, liquatur prius, ut poſtmodum viciſſim à ſemetipſo teneatur: ſi enim prius minime molleſcit, poſtmodum tenere ſe fortiter non ſufficit.

Ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit.

Cui aliena cura committitur, ſpeculator vocatur, ut in mentis altitudine ſedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat: non eſt enim ſpeculator, qui in imo eſt. Speculator quippe ſemper in altitudine ſtat, ut quicquid venturum eſt, longe proſpiciat: & quiſquis populi ſpeculator ponitur, in altum debet ſtare per vitam, ut poſſit prodeſſe per providentiam.

Eſſe ſpeculatoris vita & alta debet ſemper & circumſpecta. Ne enim terrenarum rerum amore

ſuccumbat, alta ſit: ne occulti hoſtis jaculis feriatur, ex omni latere circumſpecta.

Nec ſubjectus ex culpa præpoſiti moritur, nec præpoſitus ſine culpa eſt, quando verba vitæ non audiens ex ſua culpa moritur ſubjectus.

Ubi ſubjectus ex ſua culpa moritur, ibi is qui præeſt, quoniam tacuit, reus mortis tenetur.

Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & jacentes videmus.

Peccatum ſubditi, culpa eſſe præpoſiti, ſi tacuerit, reputatur.

Penſare doctor debet quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur: ſi enim vnum horum defuerit, locutio apta non erit.

Sæpe increpationis verbum quod hæc admittit perſona, altera non admittit.

Sæpe etſi differtur increpatio, poſtmodum benigne recipitur: &

nonnumquam langueſcit, ſi hoc quod ante proferri debuit, tempus amiſerit.

Sapiens mulier Nabal ebrium videns, increpare de culpa tenaciæ noluit, quem digeſto vino increpationis ſuæ verbis utiliter percuſſit.

Sæpe verba quæ hunc ad ſalutem reuocant, alium vulnerant.

Hoc infirmis præcipue congruit, vt pauca quidem & quæ præualent capere, audiant; ſed quæ eorum mentem in pœnitentiæ dolorem compungant.

Si quando modum ſuum ſermo prolixior tranſeat, periculoſum hoc auditoribus non eſt. Si autem qualiter quid dicatur, & quibus dicatur, non vigilanter circumſpicitur, valde periculoſum eſt.

Verecundæ mentes, ſi quas fortaſſe culpas admiſerint, leniter arguendæ ſunt: quia ſi aſperius increpentur, franguntur potius quàm erudiuntur.

Peritus Medicus vulnus ſecan-

dum videns, ſed ægrum timidum eſſe conſpiciens, diu *palpat*, & ſubito *percutit*.

Cum feriendum vulnus Medicus aſpicit, prius ea membra, quæ circa vulnus ſana ſunt, palpat, ut poſt ad ea quæ vulnerata ſunt, leniter palpando perveniat.

Mentes duræ, niſi aperta eſſent increpatione percuſſæ, nullo modo malum cognoſcerent, quod egiſſent.

Sæpe hi qui impudentes ſunt, tantum ſe peccaſſe non ſentiunt, quantum de peccatis quæ fecerunt, non increpantur. Minores ſuas culpas æſtimiant, quas minor invectio caſtigat: & quas vehementer objurgari viderint, majores eſſe deprehendunt.

Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, aut peccatum eſt, aut cauſa peccati, ſimul & pœna peccati.

Peccatum quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum ſimul eſt & cauſa peccati: quia ex

illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum verò quod ex peccato ſequitur, peccatum ſimul eſt & pœna peccati: quia excreſcente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, ut quaſi jam quædam ſint in peccatore ſupplicia ipſa incrementa vitiorum.

Fit nonnunquam ut unum idemque peccatum, & peccatum ſit, & pœna peccati, ſimul & cauſa peccati.

Non cor peccantis Dominus obdurat, ſed obdurare dicitur, cùm ab obduratione non liberat.

Miſericors Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat: ſed cum ejus gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipſum tempus quod ad parcendum pie diſpoſuit, diſtrictius ad feriendum vertit: ut quia reverti quis etiam ſpatio temporis accepto noluerit, per hoc mala ſua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, ſi converti voluiſſet.

De benignitate omnipotentis Dei iram ſibi in die iræ reprobus theſaurizat: quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipſum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde & omnipotens Deus, qui collata remedia conſpicit ad culpæ augmentum trahi, ipſam benignitatem quam contulit, in judicij diſtrictionem vertit, ut inde poſt amplius feriat, unde modo amplius expectat. Et quia homo deſerere malum non vult ut vivat, auget unde moriatur.

Peto ut veſtra me oratio talem faciat, qualis & mihi valeam & vobis prodeſſe.

Hom. 12 Tunc poſſidet homo, quod docet, quando ſe non gaudet innoteſcere, ſed prodeſſe.

Aliquando propter malos auditores bonis tollitur ſermo doctoribus. Aliquando pro bonis auditoribus datur ſermo doctoribus & malis. Aliquando propter docentium atque audientium juſtifica-

tionem, bonis doctoribus datur, ut & ipſi per meritum creſcant, & auditores eorum in intellectu & vita proficiant. Aliquando, quia nec hi digni ſunt accipere, quibus ſermo doctrinæ profertur, neque illi doctrinæ verbum proferre, qui locum docendi tenent, prædicationis ſermo tollitur, ut utraque pars diſtricte judicetur.

Magna omnipotentis eſt gratia, cum inique agentibus durus ſermo increpationis profertur.

Sunt quædam vitia quaſi per quandam ſibi cognationem propinqua, ſicut diſſolutio ſpiritus, appetitus gulæ, & immunditia luxuriæ: ſicut multiloquium, fallacia atque perjurium. Ex diſſolutione quippe ſpiritus mens ad ingluuiem ventris rapitur: & dum cibis venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur ſuperbiendo captiua. Et rurſum ex multiloquio fallacia generatur: quia valde difficile eſt ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur. Et ſæpe mendacium

De benignitate omnipotentis Dei iram ſibi in die iræ reprobus theſaurizat: quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipſum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde & omnipotens Deus, qui collata remedia conſpicit ad culpæ augmentum trahi, ipſam benignitatem quam contulit, in judicij diſtrictionem vertit, ut inde poſt amplius feriat, unde modo amplius expectat. Et quia homo deſerere malum non vult ut vivat, auget unde moriatur.

Peto ut veſtra me oratio talem faciat, qualis & mihi valeam & vobis prodeſſe.

Hom. 12 Tunc poſſidet homo, quod docet, quando ſe non gaudet innoteſcere, ſed prodeſſe.

Aliquando propter malos auditores bonis tollitur ſermo doctoribus. Aliquando pro bonis auditoribus datur ſermo doctoribus & malis. Aliquando propter docentium atque audientium juſtifica-

tionem, bonis doctoribus datur, ut & ipſi per meritum creſcant, & auditores eorum in intellectu & vita proficiant. Aliquando, quia nec hi digni ſunt accipere, quibus ſermo doctrinæ profertur, neque illi doctrinæ verbum proferre, qui locum docendi tenent, prædicationis ſermo tollitur, ut utraque pars diſtricte judicetur.

Magna omnipotentis eſt gratia, cum inique agentibus durus ſermo increpationis profertur.

Sunt quædam vitia quaſi per quandam ſibi cognationem propinqua, ſicut diſſolutio ſpiritus, appetitus gulæ, & immunditia luxuriæ: ſicut multiloquium, fallacia atque perjurium. Ex diſſolutione quippe ſpiritus mens ad ingluuiem ventris rapitur: & dum cibis venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur ſuperbiendo captiua. Et rurſum ex multiloquio fallacia generatur: quia valde difficile eſt ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur. Et ſæpe mendacium

etiam perjurio tegitur, ut ante humana judicia celetur. Superbia quoque eſſe ſine invidia atque inani gloria nullatenus poteſt: ſuperbus etenim quiſque honorem, quem ipſe ambit, aliis invidet: & cum hunc fortaſſe obtinuerit, in elationem gloriæ temporalis attollitur, atque quod alios conſpicit minime percipere potuiſſe, hoc ſe per inanem gloriam gaudet præ cæteris habere.

*S*æpe nonnulla vitia ad mentem non ſimul veniunt, ſed ſupponuntur, ut unum alteri in tentatione ſuccedat. Et aliud contra faciem venit, aliud vero in tentationem ſe ex latere ſubjicit; quatenus dum alteri reſiſtitur, ab altero mens direpta capiatur: ipſa enim vitia ſe alia pro aliis ſupponunt, ſicut nonnumquam, dum iram vincere in nobiſmetipſis conatur, pluſquam neceſſe eſt, lenitas mentem occupat, & aſperitatem peccantibus, quam oportet, minime proponat. Sæpe vero dum nobis ineſſe incauta

cauta lenitas diſplicet, zelus ſe in furorem trahit, atque extra patientiæ limitem animum captivum trahit.

In ſancti zeli diſtrictione neceſſe eſt vt *mens* ex miſericordiæ virtute & ardeat & clareſcat.

Hoc inter holocauſtum & ſacrificium diſtat: quia omne quidem holocauſtum ſacrificium eſt, non omne ſacrificium holocauſtum: holocauſtum enim totum incenſum dicimus.

Qui ſic operantur ea quæ Dei ſunt, vt tamen & quædam quæ ſunt ſæculi, non relinquantur, nimirum ſacrificium & non holocauſtum offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi ſunt, dederunt, & totam mentem igne divini amoris incendunt; hi nimirum omnipotenti Domino ſacrificium & holocauſtum fiunt.

Fluvius qui in multis rivis dividitur, à ſuo alveo ſiccatur. *In Ezec. lib. 2. Præfat. Hom. 13*

In Scriptura ſacra, & ea quæ accipi ſecundum hiſtoriam poſ-

ſunt; plerumque ſpiritaliter accipienda ſunt: ut & fides habeatur in veritate hiſtoriæ, & ſpiritalis intelligentia capiatur de myſteriis allegoriæ.

Hom. 14. Oculi atque aures cordis ſolummodo ſpiritualium ſunt, qui inviſibilia per intellectum vident, & laudem Dei ſine ſono audiunt.

Suſcepit *Dominus* mortem, ne mori timeremus.

Cum præſenti ſæculo vita aufertur activa, contemplativa autem hîc incipitur, ut in cœleſti patria perficiatur: quia amoris ignis qui hîc ardere inchoat, cum ipſum quem amat, viderit, in amore ipſius amplius igneſcit. Contemplativa ergo vita minime aufertur, quia ſubſtracta præſentis ſæculi luce perficitur. Has utraſque duæ beati Jacob mulieres ſignaverunt, *Gen. 29.* Lia videlicet & Rachel. Lia quippe interpretatur *laborioſa*: Rachel vero *ovis* vel *viſum principium*: activa autem vita laborioſa eſt, quia deſudat in opere: contempla-

tiva vero ſimplex ad ſolum videndum principium anhelat, videlicet ipſum qui ait: *Ego ſum principium, propter quod & loquor vobis.* *Ioan. 8.* Beatus Jacob Rachel quidem concupierat, ſed in nocte accepit Liam; quia videlicet omnis qui ad Dominum convertitur, contemplativam vitam deſiderat, quietem æternæ patriæ appetit: ſed prius neceſſe eſt ut in vitæ nocte præſentis operetur bona quæ poteſt, deſudet in labore, id eſt, Liam accipiat; ut poſt ad videndum principium in Rachel amplexibus requieſcat. Erat autem Rachel videns & ſterilis, Lia autem lippa, ſed fœcunda: quia nimirum mens, cum contemplando otia appetit, plus videt, ſed minus filios Deo generat: cum vero ad laborem ſe prædicationis dirigit, minus videt, ſed amplius parit. Rachel pulchra & infœcunda, quia contemplativa vita ſpecioſa eſt in animo: ſed dum quieſcere in ſilentio appetit filios nō generat ex prædicatione. Videt,

&non parit; quia quietis ſuę ſtudio minus ſe in aliorum collectione ſuccendit: Lia vero lippa & fœcunda eſt, quia activa vita dum occupatur in opere, minus videt: ſed dum modo per verbum, modo per exemplum ad imitationem ſuam proximos accendit, multos in bono opere filios generat. Et ſi in contemplatione mentem tendere non valet, ex eo tamen quod agit exterius, gignere ſequaces valet. Poſt Liæ ergo complexum ad Rachelem Jacob pervenit, quia perfectus quiſque ante activæ vitæ ad fœcunditatem jungitur: & quia poſt ad contemplativæ requiem copulatur: ſed ſciendum eſt, quia ſicut bonus ordo vivendi eſt, ut ab activa ad contemplativam tendatur; ita plerumque utiliter à contemplativa animus ad activam reflectitur, ut per hoc quod contemplativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur. Debet ergo nos & activa ad contemplativam tranſmittere, & aliquando tamen

ex eo quod introrſus mente conſpeximus, ad activam melius contemplativa revocare. Vnde & idem Jacob poſt Rachelis amplexus ad Liæ rediit, quia & poſt viſum principium, laborioſa vita boni operis non eſt funditus deſerenda.

Factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi media hora. Cælum eſt anima juſti. Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, ſilentium fit in cælo: quia terrenorum actuum ſtrepitus quieſcit à cogitatione, ut ad ſecretum intimum auris animum apponat. Sed quia hæc quies mentis eſſe in hac vita perfecta non poteſt, nequaquam hora integra factum in cælo ſilentium dicitur, ſed *quaſi media hora*, ut neque ipſa media hora plene ſentiatur, cum præmittitur *quaſi*; quia mox ut ſe animus ſublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum ſtrepitu, de ſemetipſo confunditur, & confuſus cæcatur. *Apoc. 8.*

Menti ſponſum ſuum fortiter *Hom. 15*

amanti, de amore vitæ præſentis una ſolet eſſe conſolatio, ſi per hoc quod ipſa ab ejus viſione differtur, aliorum animæ ejus verbo proficiant, & ad cæleſtem ſponſum amoris facibus inardeſcant.

Eſt non parva conſolatio, ſi fervens anima differtur, & per eam multæ colliguntur, ut tarde eum cum multis videat, quem ſola videre citius volebat.

Hom.16 Modo quiſquis per flagella corripitur, & correptionibus emendatur, in manſuetudine corripitur, non in ira. In diſtricto autem illo examine omnis argutio atque correptio ira eſt, quia venia poſt correptionem non eſt.

Ne quies hujus vitæ ſic placeat, ut ad obliuionem patriæ perducat.

Donis ſuis flagella permiſcet *Dominus*; ut nobis omne quod nos in ſæculo delectabat, amareſcat; & illud incendium ſurgat in animo, quod nos ſemper ad cæleſte deſiderium in quiete excitet, atque, ut ita dicam, delectabiliter

mordeat, ſuaviter cruciet, hilariter contriſtet.

Per ea quæ nobis in ſacra Scriptura cooperta ſunt, noſtra humilitas approbatur: quia quicquid in illa non intelligimus, non ſuperbè deprehendere, ſed venerari humiliter debemus.

Sæpe de charitate oſtenditur quod non eſt, & demonſtratur quod eſt.

Amorem noſtrum erga proximum plus bona operatio loquitur quàm lingua.

Cum tantum non poſſumus quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta amoris noſtri ſufficiant.

Eſſe nobis Conditor noſter diem mortis noſtræ incognitum voluit, ut dum ſemper ignoratur, ſemper eſſe proximus credatur: & tanto quis ferventior ſit in operatione, quanto & incertus eſt de vocatione.

Natura luti & ceræ diverſa eſt: ſolis vero radius non eſt diverſus,

& tamen cum diverſus non ſit, diverſa ſunt quæ in luto operatur & cera: quia uno eodemque ſui ignis calore lutum durat, & ceram liquat. Sed fortaſſe hoc in natura luti vel ceræ eſt, non in ipſa ſolis ſubſtantia, quæ in naturis diverſis diverſa videtur operari.

Omnipotens Deus in ſemetipſo habet ſine immutatione mutabilia diſponere: ſine diverſitate ſui diverſa agere: ſine cogitationum viciſſitudine diſſimilia formare.

Longe diſſimiliter operatur diſſimilia numquam ſibi diſſimilis Deus, qui & ubique eſt, & ubique totus eſt.

Via Dei & inchoantibus anguſta eſt, & perfecte jam viventibus lata.

Onus Dei leve eſt, poſtquam hoc ferre cœperimus, ita ut pro amore ejus etiam perſecutio placeat, & omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat.

Tolerare, ſed odiſſe, non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris.

Deum ac proximum perfectè amare, jam ad ingreſſum regni eſt tendere: inquantum enim quiſquis amat, intantum ad ingreſſum propinquat; inquantum vero amare negligit, intantum ingredi recuſat: quia nec ſtudet videre quod appetit.

Spes cæleſtium mentem ſolidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum.

Exiguum valde eſt quod de æternitate contemplantes vident; ſed ex ipſo exiguo laxatur ſinus mentium in augmento fervoris & amoris.

Magnitudo contemplationis concedi nonniſi amantibus poteſt.

Non contemplationis gratia ſummis datur: ſed ſæpe hanc ſummi, ſæpe minimi, ſæpius remoti, aliquando eam conjugati percipiunt.

Nullum eſt fidelium officium, à quo poſſit gratia contemplationis excludi: quiſquis cor intus habet, illuſtrari etiam lumine contem-

plationis poteſt.

Nullus ſe donum veri luminis æſtimet habere privatum; quia in eo quod ſe habere præcipuum putat, ſæpe alter eſt ditior, quem habere apud ſe boni aliquid non putat.

Quod electi ex charitate, hoc reprobi ſtudent agere per elationem.

Hom.18. Sunt quidam qui per donum gratiæ & ipſa intelligunt quæ exponi à doctoribus non audierunt.

Spiritales divitiæ erogatæ proficiunt; terrenæ autem divitiæ aut erogantur & deficiunt, aut retinentur & utiles non ſunt.

Activa ac contemplativa vita ſimul in Decalogi mandatis conjuncta eſt, quia in ea & amor Dei & amor ſervari proximi jubetur. Amor quippe Dei ad contemplativam, amor verò proximi pertinet ad activam.

Turpe nimis eſt, ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conati ſumus alios levare.

Finiamus mundi deſideria, ſal-

tem cum mundi fine.

Sæpe pietas per inordinatam miſericordiam errare ſolet, ſi forte pepercerit quæ parcenda non ſunt. Sed inordinata pietas, cum temporaliter parcit, ad æternum ſupplicium pertrahit. *Hom.* 15.

Peccata, quæ feriri gehennæ ignibus poſſunt, diſciplinæ verbere ſunt corrigenda.

Non virtutibus venitur ad fidem, ſed per fidem pertingitur ad virtutes: Cornelius enim Centurio, cujus eleemoſynę ante baptiſmum Angelo teſtante laudatæ ſunt, non operibus venit ad fidem, ſed fide venit ad opera. Nam & ei per Angelum dicitur: *Orationes tuæ & eleemoſynæ aſcenderunt in conſpectum Dei.* *Act.* 10. Si enim Deum vere & ante baptiſmum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, ſi non ab ipſo ſe in bonis perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium Deum, ſed quod ejus omnipotens Filius incarnatus eſſet,

ignorabat. Neque enim poterat bona agere, niſi credidiſſet. Scriptum namque eſt: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Fidem ergo habuit, cujus operationes & eleemoſynæ placere potuerunt. Bona autem actione promeruit vt Deum perfecte cognoſceret, & Incarnationis ejus myſterium crederet, quatenus ad ſacramentum Baptiſmatis perveniret. Per fidem ergo venit ad opera, ſed per opera eſt ſolidatus in fide.

Hebr. 11

Diſcamus non ſolum in proſperis, ſed in adverſis quoque gratias agere.

Abundantia ſuperbiæ vicina eſt.

Plus concupiſcentia, quàm neceſſitas petit.

Ex peccato primi hominis, infirmante natura, in hoc mundo cum noſtris tentationibus naſcimur.

Caro nobis aliquando adjutrix eſt in bono opere; aliquando autem ſeductrix in malum. Si ei, plus quam debemus, tribuimus, hoſtem nutrimus.

Si cum bona habemus, malorum reminiſcimur; quæ aut jam paſſi ſumus, aut adhuc pati poſſumus, accepta bona mentem non elevant; quia eorum gaudium timor memoriæ malorum premit. Et ſi cum mala habemus, bonorum reminiſcimur, quæ aut jam accepimus, aut adhuc nos poſſe accipere ſperamus, malorum pondus animum ad deſperationem non premit, quia hunc ad ſpem memoria bonorum levat.

Hoc inter ſacrificium atque holocauſtum diſtat; quod omne holocauſtum ſacrificium eſt, ſed non omne ſacrificium holocauſtum: in ſacrificio enim pars pecudis, in holocauſto vero totum pecus offerri conſueverat. Cum quis ſuum aliquid Deo vovet, & aliquid non vovet, ſacrificium eſt: cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo voverit, holocauſtum eſt. Nam ſunt quidam qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, & *Hom. 20.*

tamen ex poſſeſſis rebus ſubſidia egentibus miniſtrant, oppreſſos defendere feſtinant. Iſti in bonis quæ faciunt, ſacrificium offerunt: quia & aliquid de actione ſua Deo immolant, & aliquid ſemetipſis reſervant. Et ſunt quidam qui nihil ſibimetipſis reſervant; ſed ſenſum, linguam, vitam, atque ſubſtantiam quam perceperunt, omnipotenti Domino immolant. Quid iſti niſi holocauſtum offerunt, imo magis holocauſtum fiunt?

Exod.12 Iſraëliticus populus primum ſacrificium in Ægypto obtulit, ſecundum vero in eremo. *Exod.13*

Hom.21 In dilectione Dei neceſſario tenenda eſt fides & vita: in dilectione autem proximi debet ſummopere patientia & benignitas cuſtodiri.

Hom.22 & vlt. Sancta Eccleſia duas vitas habet: unam quam temporaliter ducit, aliam quam in æternum recipit: unam qua laborat in terra, aliam qua remuneratur in cælo: unam

qua mercedes colligit, aliam vero in qua jam de receptis mercedibus gaudet, atque in utraque vita offert ſacrificium. Hîc videlicet ſacrificium compunctionis, & illic ſacrificium laudis.

Quanto graviori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi inſiſtere ardentius debemus. *In Ev. hom. 2.*

Dum ab hoc mundo animum ad Deum mutamus, dum ad orationis opus convertimur, ipſa quæ prius delectabiliter geſſimus, importuna poſtea atque grauia in oratione noſtra toleramus.

Ex inviſibili anima viſibile regitur corpus.

Ex inviſibili ſubſtantia in hac vita viſibili vivitur, & eſſe vita inviſibilis dubitatur.

Jeſum ſequitur, qui imitatur.

Quid homo pro ſe pati debet, ſi tanta Deus pro hominibus pertulit?

Si retributionis gaudium in perventione quærimus, pœnitentiæ

amaritudinem in via teneamus.

Hom. 3. Qui Chriſti ſoror & frater eſt credendo, mater efficitur prædicando: quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit: & mater ejus prædicando efficitur, ſi per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur.

Cum gaudium quærimus ſalutis, amarum poculum ſumimus purgationis. Amaritudo quidem in poculo diſplicet, ſed reſtituenda per amaritudinem ſalus placet.

Nos plerumque à bono opere verba revocant.

Turpe ſit diligere, quod conſtat citius perire.

Amore noſtri Redemptor noſter occubuit, & nos amore ejus diſcamus vincere noſmetipſos.

Quamvis occaſio perſecutionis deſit, habet tamen & pax noſtra martyrium ſuum: quia etſi carnis colla ferro non ſubdimus, ſpiritali tamen gladio carnalia deſideria in mente trucidamus.

Hom. 4. Terrena omnia ſervando amittimus,

timus, bene largiendo ſervamus.

Regnum Dei tantum valet, quantum habes. Penſate igitur quid vilius cum emitur, quid carius cum poſſidetur. *Hom. 5.*

Ante Dei oculos nunquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Nihil quippe offertur Deo ditius voluntate bona. Voluntas autem bona eſt, ſic adverſa alterius ſicut noſtra pertimeſcere: ſic de proſperitate proximi, ſicut de noſtro profectu gratulari. Aliena damna noſtra credere; aliena lucra; noſtra putare. Amicum non propter mundum, ſed propter Deum diligere; inimicum etiam amando tolerare. Nulli, quod pati non vis, facere; nulli, quod tibi juſte impendi deſideras, denegare. Neceſſitati proximi non ſolum juxta vires ſuccurrere, ſed prodeſſe etiam ultra vires velle.

Bonę voluntatis ſacrificium Deo numquam plene perſolvitur, niſi mundi hujus cupiditas perfecte deſeratur.

Rr

Quia, fratres chariſſimi, beati Andreæ Apoſtoli natalitia celebramus, debemus imitari quod colimus. Oſtendat noſtræ obſequium deuotionis, immutatæ ſolemnitas mentis.

Si necdum poſſumus relinquere propria, ſaltem non concupiſcamus aliena.

Hom. 6. Nemo exiſtimet in fluxu atque ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe; quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Joannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, nunquam Paulus Apoſtolus per Epiſtolam fœminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens: *Non in veſte pretioſa.* Penſate ergo quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, à quo curavit Paſtor Eccleſiæ & fœminas prohibere.

1. Tim. 2

Si ad Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis.

Plus eſt verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere,

quam ventrem morituræ carnis terreno pane ſatiare.

Otioſa colloquia ad ædificationis ſtudium vertite.

Sancti viri, ut humilitatis in ſe virtutem cuſtodiant, cum quædam mirabiliter ſciunt, illud ante mentis oculos ſtudent revocare, quod neſciunt: ut dum ex parte alia infirmitatem ſuam conſiderant, ex ea parte qua perfecti ſunt, eorum ſe animus non extollat. *Hom. 7.*

Miranda actio cum elatione non elevat, ſed gravat.

Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tanto ergo eſſe humilior atque ad ſentiendum promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione. *Hom. 9.*

Talentum in terra abſcondere, eſt acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum ſpiritale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam levare. *Mat. 25*

Nullus eſt qui veraciter dicat;

Talentum minime accepi, non eſt unde rationes ponere cogar: Talenti enim nomine, cuilibet pauperi etiam hoc ipſum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius accepit intelligentiam prædicationis, miniſterium debet ex talento. Alius terrenam ſubſtantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiam, nec rerum affluentiam accepit, ſed tamen didicit artem qua paſcitur; ipſa ars ei in talenti acceptionem reputatur. Alius nihil horum aſſecutus eſt, ſed tamen fortaſſe familiaritatis locum apud divitem meruit, talentum profecto familiaritatis accepit. Habens ergo intellectum, curet ne omnino taceat: habens rerum affluentiam, vigilet ne à miſericordiæ largitate torpeſcat: habens artem qua regitur, magnopere ſtudeat ut uſum atque utilitatem illius cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento

talento timeat, ſi cum valet, non apud eum pro pauperibus intercedat. Talentum quippe ab unoquoque noſtrûm venturus Judex exigit quantum dedit. Ut ergo de talenti ſui rationibus, redeunte Domino, quiſque ſecurus ſit, cum tremore penſet quotidie quid accepit. Conſideremus quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus.

Omnia elementa auctorem ſuum venifſe teſtata ſunt: ut enim de eis quiddam uſu humano loquar, Deum hunc cæli eſſe cognoverunt, quia ſtellam miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos quos tenebat, mortuos reddidit. *Hom.10*

Gratum Deo ſacrificium eſt afflictio contra peccatum.

Hom. 11. Mat. 13. Cæleſte regnum negotiatori homini ſimile dicitur, qui bonas margaritas quærit, ſed unam pretioſam invenit; quam videlicet inventam, omnia vendens emit: quia qui cæleſtis vitæ dulcedinem, inquantum poſſibilitas admittit, perfecte cognoverit, libenter cuncta derelinquit: in comparatione ejus vileſcunt omnia, deſerit habita; congregata diſpergit, inardeſcit in cæleſtibus animus, nihil in terrenis libet, deforme conſpicitur, quicquid de terrenæ rei placebat ſpecie.

Sicut mors corpus interimit, ſic ab amore rerum corporalium ęternæ vitæ charitas occidit.

Si adipiſci regna cælorum per bella perſecutionum non poſſumus, hoc ipſum nobis turpe ſit quod Deum nolumus ſaltem per pacem ſequi. Ecce nulli noſtrûm hoc tempore dicit Deus: Pro me morere, ſed illicita tantummodo te deſideria occide.

Qui in pace ſubigere carnis de-

ſideria nolumus, quando in bello pro Domino ipſam carnem daremus?

Sanctá Eccleſia ſagenæ comparatur, quia & piſcatoribus eſt commiſſa, & per eam quiſque ad æternum regnum à præſentis ſæculi fluctibus trahitur, ne in æternæ mortis profunda mergatur. Quæ ex omni genere piſcium congregat, quia ad peccatorum veniam ſapientes & fatuos, liberos & ſervos, divites & pauperes, fortes & infirmos vocat. Quæ ſagena videlicet Eccleſia tunc univerſaliter repletur, cum in fine ſuo humani generis ſumma concluditur. In quo ſcilicet fine boni piſces in vaſis eliguntur, mali autem projiciuntur foras: quia & electi quique in tabernacula æterna recipiuntur, & interni regni luce perdita ad exteriores tenebras pertrahuntur. Nunc enim bonos maloſque communiter quaſi permixtos piſces fidei ſagena nos continet: ſed littus indicat ſanctæ Eccleſiæ ſagena

quid trahebat.

Vel pœnæ terreant, quos prę̄mia non invitant.

Torpentem animum ac terræ vehementer inhærentem, ſi amor ad regnum non trahit, vel timor minet.

Hom. 12 Qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit.

Semper extremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere.

Hora noſtri exitus eſt ſemper intuenda.

Iſta Redemptoris noſtri admonitio ante mentis oculos ſemper ponenda, qui ait: *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam.*

Hom. 13 Redemptori noſtro unum ſine altero placere non poteſt: ſi aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deſerit: aut is qui caſtitate præeminet, necdum ſe per bona opera exercet. Nec caſtitas magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquid ſine caſtitate.

Quos

Quos diu, ut convertantur, tolerat *Deus*, non converſos durius damnat.

Non paſtor, ſed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit. *Hom. 14*

Mercenarius eſt, qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſa ſibi ab hominibus reverentia lætatur.

Stultus viator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens, obliviſcitur ire quo tendebat.

Si cæleſtis Paſtoris veraciter oves ſumus, æternis paſcuis in perventione ſatiemur.

Fallaces ſunt *divitiæ* quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt: fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. Solæ autem divitiæ veræ ſunt, quæ nos divites virtutibus faciunt. *Hom. 15*

Si eſſe divites cupitis, veras di-

vitias amate: ſi culmen veri honoris quæritis, ad cæleſte regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa ſuperna Angelorum curia aſcribi feſtinate.

Cibus mentis eſt ſermo Dei: & quaſi acceptus cibus ſtomacho languente rejicitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quiſquis alimenta non retinet, hujus profecto vita deſperatur.

Sæpe contra culpas compungimur, & tamen poſt fletum ad eaſdem culpas redimus.

Nulla ſunt bona quæ agimus, ſi non æquanimiter etiam proximorum mala toleramus.

Quanto quiſque altius profecerit, tanto in hoc mundo invenit quod durius portet: quia cum à præſenti ſæculo mentis noſtræ * dilectio deficit ejuſdem ſæculi adverſitas creſcit.

* *delectatio.*

Uva calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur. Oliva contuſionibus expreſſa, amurcam

ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit. Per trituram areæ à paleis grana ſeparantur, ut ad horreum purgata perveniant.

Non eſt indignum Redemptori noſtro, quod tentari voluit, qui venerat occidi. Juſtum quippe erat, ut ſic tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, ſicut mortem noſtram venerat ſua morte ſuperare. *Hom. 16*

Tribus modis tentatio agitur, ſuggeſtione, delectatione & conſenſu.

De carnis peccato propagati in nobiſipſis etiam gerimus, unde certamina toleramus: Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum ſine peccato venerat, nihil contradictionis in ſemetipſo tolerabat. Tentari ergo per ſuggeſtionem potuit, ſed ejus mentem peccati delectatio non momordit.

Qui à Paradiſi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc inquantum poſſumus, per abſtinentiam reſurgamus.

Illud jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemoſynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur; quod cum pietate conditur. Hoc quod tibi ſubtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.

Zach.7. Per Prophetam Dominus dicit: *Cum jejunaretis & plangeretis, nunquid jejunium jejunaſtis mihi? Et cum comeditis & bibitis, nunquid non vobis comeditis, & vobiſmetipſis bibitis?* Sibi comedit & bibit, qui alimenta corporis, quæ ſunt communia dona Conditoris, ſine indigentibus percipit. Et ſibi quiſque jejunat, ſi ea quæ ſibi ad tempus ſubſtrahit, non pauperibus tribuit, ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodit.

c.1. & 2 Per Joëlem dicitur, *Sanctificate jejunium:* Jejunium ſanctificare, eſt adjunctis bonis aliis dignam Deo abſtinentiam carnis oſtendere.

Incaſſum caro atteritur, ſi à pra-

vis ſuis voluptatibus animus non refrænatur.

Dignum eſt, ut quiſquis ſe in pœnitentia macerat, etiam hoc quod ſibi juſte competit, interdicat.

Dominus & Salvator noſter aliquando nos ſermonibus, aliquando vero operibus admonet; ipſa etenim facta ejus præcepta ſunt: quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innoteſcit. *Hom. 19*

Qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium ſuſcipere nullatenus debet.

Ecce mundus Sacerdotibus plenus eſt, ſed tamen in meſſe Dei carus valde invenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus.

Sæpe pro ſua nequitia prædicantium lingua reſtringitur: ſæpe vero ex ſubjectorum culpa agitur, ut in eis qui præſunt, prædicationis ſermo ſubſtrahatur.

Sunt multi qui pravitatem ſuam

ex alienis pravitatibus tuentur: quia enim alios talia feciſſe conſiderant, ſe hæc facere licenter putant.

Verus quiſque prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem accipiat: ſed ideo mercedem recipere, ut prædicare ſubſiſtat.

Quiſquis ideo prædicat, ut hîc vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna proculdubio mercede ſe privat. Quiſquis vero vel ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetit; ut dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipſe, ſed Dominus ametur: vel idcirco terrena ſtipendia in prædicatione conſequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam laſſetur: huic proculdubio ad recipiendam mercedem nihil obſtat in patria, quia ſumptus ſumpſit in via. Sed quid nos, quod tamen ſine dolore dicere non poſſumus: quid nos, ô paſtores agimus, qui & mercedem conſequimur, & tamen operarij

nequaquam ſumus? Fructus quippe ſanctæ Eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus; ſed tamen pro æterna Eccleſia minime in prædicatione laboramus. Penſemus cujus damnationis ſit, ſine labore hîc percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, ſed nunquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in ſtipendium noſtrum ſumimus, quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulerunt: nec tamen contra peccata eadem, vel orationis ſtudio, vel prædicationis, ut dignum eſt, inſudamus.

Eſt valde neceſſarium, ut cum de nobis compunctione afficimur, etiam commiſſorum nobis vitam zelemus.

Sic nos amaritudo compunctionis afficiat, ut tamen à proximorum cuſtodia non avertat. Quid enim prodeſt, ſi amantes noſmetipſos, relinquamus proximos? Vel quid rurſum prodeſt, ſi amantes vel zelantes proximos, relinqua-

mus noſmetipſos?

Ille vere ſe diligit, qui pure diligit auctorem.

Sic exerceatur zelus rectitudinis contra prava acta proximorum, quatenus in fervore diſtrictionis nullo modo relinquatur virtus manſuetudinis: ira etenim Sacerdotis nequaquam debet eſſe præceps & perturbata, ſed magis ex conſilij gravitate metuenda.

Et portare debemus quos corrigimus, & corrigere quos portamus; ne ſi ex utroque unum defuerit, vel in fervore, vel in manſuetudine, actio Sacerdotalis non ſit.

Eſt & aliud quod me de vita paſtorum vehementer affligit: ſed ne cui hoc injurioſum videatur fortaſſe quod aſſero, me quoque accuſo, quamvis barbarici temporis neceſſitate compulſus, valde in his jaceo invitus: Ad exteriora enim negotia delapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Miniſterium prædicationis relinqui-

mus, & ad pœnam noſtram, ut video, Epiſcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis, tenemus. Relinquunt namque Deum hi qui nobis commiſſi ſunt, & tacemus. In pravis actibus jacent, & correptionis manum non tendimus. Quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus noſtram? Curis enim ſæcularibus intenti, tanto inſenſibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris ſunt, ſtudioſiores videmur. Uſu quippe curæ terrenæ, à cæleſti deſiderio obdureſcit animus: & dum ipſo ſuo uſu durus efficitur per actionem ſæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei.

Nullum, puto, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis.

cernit: quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus.

Plerumque Sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerumque ſi quos humiliter, ſi quos continenter vivere conſpiciunt, irrident. Conſiderate ergo quid de gregibus agatur, quando paſtores lupi fiunt.

Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas oſtenditur reproba. Ille ſanctitatis habitus per terrena & abjecta opera ad ignominiam deſpectionis venit.

Ecce jam pene nulla eſt ſæculi actio, quam non Sacerdotes adminiſtrent.

Penſemus qui unquam per linguam noſtram converſi, qui de perverſo ſuo opere noſtra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt: quis luxuriam ex noſtra eruditione deſeruit, quis avaritiam, quis ſuperbiam declinavit? Penſemus quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad

negotium miſſi ſumus? Etenim dicit: *Negotiamini dum venio.* Ecce *Luc.19.*
jam venit, ecce de noſtro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de noſtra negotiatione monſtrabimus? Quos eius conſpectui animarum manipulos de prædicationis noſtræ ſegete illaturi ſumus? Ponamus ante oculos noſtros illum tantæ diſtrictionis diem, quo Judex veniet, & rationem cum ſervis ſuis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majeſtate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine, electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unuſquiſque quid ſit operatus, oſtendetur. Ibi Petrus cum Judæa converſa, quam poſt ſe traxit, apparebit: Ibi Paulus converſum, ut ita dixerim, mundum ducens: Ibi Andræas poſt ſe Achaïam: Ibi Joannes Aſiam, Thomas Indiam in conſpectum ſui Judicis converſam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes

cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt. Cum igitur tot Paſtores cum gregibus ſuis ante æterni Paſtoris oculos venerint, nos miſeri quid * dicturi ſumus, qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui redimus, qui Paſtorum nomen habuimus, & oves quas nutrimento noſtro debeamus oſtendere, non habemus? Hîc Paſtores vocati ſumus, & ibi gregem non ducimus.

* al. *ducturi*

Per nos quidem fideles ad ſanctum Baptiſma veniunt, noſtris precibus benedicuntur, & per impoſitionem manuum à Deo Spiritum Sanctum accipiunt, atque ipſi ad regnum cælorum pertingunt, & ecce nos per negligentiam noſtram deorſum tendimus. Ingrediuntur electi, Sacerdotum manibus expiati, cæleſtem patriam: & Sacerdotes ipſi per vitam reprobam ad inferni ſupplicia feſtinant. Cui ergo rei, cui ſimiles dixerim Sacerdotes malos, niſi aquæ ba-

priſmatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleſte mittit, & ipſa poſtea in cloacas deſcendit?

Conveniat actioni noſtræ ipſum miniſterium noſtrum.

Sic debemus agere curam noſtri, ut non negligamus curam proximi.

Deus qui nos Paſtores in populo vocare voluiſti; præſta quæſumus, ut hoc quod humano ore dicimur, in tuis oculis eſſe valeamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Si ipſe verba Dei audit, qui ex Deo eſt, & audire verba ejus non poteſt, quiſquis ex illo non eſt: interroget ſe unuſquiſque ſi verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget unde ſit. Cæleſtem patriam deſiderare veritas jubet, carnis deſideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penſet ergo apud ſe unuſquiſque veſtrûm, ſi hæc vox Dei in cordis ejus aure con-

Hom. 18 Ioan. 18

valuit, & quia jam ex Deo ſit, agnoſcit.

Sunt nonnulli qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur: & ſunt nonnulli, qui hæc quidem corporis aure percipiunt, ſed nullo ea mentis deſiderio complectuntur: & ſunt nonnulli, qui libenter verba Dei ſuſcipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, ſed poſt lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt.

Hi profecto verba Dei non audiunt, qui hæc exercere in opere contemnunt.

Cum malorum perverſitas creſcit, non ſolum prædicatio non debet minui, ſed etiam augeri.

Imitatione Dei glorioſius eſt injuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare.

Dum in terra gloriam quærimus, placere ei qui nos de cælo conſpicit, non curamus.

Hom.19 Gaudendum cuique ſummopere eſt in regno Dei eſſe vel ultimum.

Mat.20 *Multi ſunt vocati, pauci vero*

electi; quia & ad fidem plures veniunt, & ad cæleſte Regnum pauci perducuntur.

Aliud eſt fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. *Hom.20*

Quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur, ut licitis utatur. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe quod eſt gravius, in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus boni operis eſſe debet ejus qui minus, & ejus qui amplius deliquit: aut ejus qui in nullis, & ejus qui in quibuſdam facinoribus cecidit; & ejus qui in multis eſt lapſus.

Hæreditatem juſtorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentíam. Vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti: nam regnum cælorum rapi vult noſtris fletibus, quod noſtris meritis non debetur.

Ab ſpei certitudine nulla nos

malorum noſtrorum qualitas, nulla quantitas frangat.

Idcirco omnipotens Deus electos ſuos in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, ut aliis in culpa jacentibus, ſi ad eum corde conſurgant, ſpem veniæ redderet.

Hom. 21 Omnipotens Deus & blandus juſtis, & terribilis apparebit injuſtis.

Si membra noſtri Redemptoris ſumus, præſumamus in nobis quod geſtum conſtat in capite.

Qui de cruce deſcendere noluit, de ſepulchro ſurrexit. Plus fuit de ſepulchro ſurgere, quàm de cruce deſcendere. Plus fuit mortem reſurgendo deſtruere, quàm vitam deſcendendo ſervare.

Hom. 22 Habet ipſa infirmitatis intentio mercedis ſuæ certitudinem: quia ſupernus arbiter noſter, etſi pondus conſiderat in retributione, tamen vires penſat in pondere.

Ipſa Redemptoris noſtri Paſſio longe à noſtra paſſione disjuncta eſt: quoniam ipſe ſine culpa pertulit

tulit quod nos cum culpa toleramus. Ipſe ſponte morti ſuccumbere voluit, ad quam nos venimus inviti.

Quid eſt teſta ante ignem, niſi molle lutum? Sed ei ex igne agitur, ut ſolidetur.

Sola Redemptoris noſtri percepta Sacramenta ad veram ſolemnitatem mentis non ſufficiunt, niſi eis quoque & bona opera jungantur: quid enim prodeſt corpus & ſanguinem illius percipere, & ei perverſis moribus contraire?

Nemo in itinere vitæ hujus torpeat, ne in patria locum perdat.

Sæpe & alimenta quæ minus ſufficiunt, avidius ſumuntur. *Hom.* 23

Quæri poteſt, an Petrus qui piſcator ante converſionem fuit, poſt converſionem ad piſcationem rediit? Et cum Veritas dicat: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*, cur repetiit quod dereliquit? Sed ſi virtus diſcretionis inſpicitur, cito videtur quia nimirum *Hom.* 24 *Luc.* 9.

negotium quod ante converſionem ſine peccato extitit, etiam poſt converſionem repetere culpa non fuit.

Rom. 8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Penſate quis ſit ſpiritus Chriſti: Profectò ille qui facit amicos & inimicos diligi, terrena deſpici, pro cæleſtibus æſtuari, carnem propter vitia conteri, mentem à concupiſcentiis frænari. Si ergo vultis vos cognoſcere poſſeſſiones Dei, perſonam perpendite poſſeſſoris veſtri. Nunquidnam ſpiritum Chriſti habet is cujus mentem odia diſſipant, elatio inflat, ira uſque ad diviſionem mentis exaſperat, auaritia cruciat, luxuria enervat?

Hom. 25 Uſus ſacri eloquij eſt, ut aliquando ex parte totum, aliquando vero ex toto partem ſignificet.

Ubique nobis occurrit ſuperna medicina: quia & dedit homini præcepta, ne peccet: & tamen peccanti dedit remedia, ne deſperet.

Libenter obliviſcitur omnipo-

tens Deus, quod nocentes fuimus.

Divina operatio, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *Hom. 26.*

Ipſa noſtri Redemptoris opera, quæ ex ſemetipſis comprehendi nequaquam poſſunt, ex alia ejus operatione penſanda ſunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora: illud enim corpus Domini intravit ad Diſcipulos januis clauſis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem ſuam clauſo exiit utero. Quid ergo mirum, ſi clauſis januis poſt reſurrectionem ſuam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero Virginis exivit?

Tunc vera eſt abſolutio præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur Judicis.

Illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante

operationem rectitudinis in ipſa jam cognoſcitur confeſſione peccati.

Paſtor vel abſolvere indiſcrete timeat, vel ligare.

Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium Diſcipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens, omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur.

Ille vere credit qui exercet operando quod credit.

Ecce Paſchalia ſolemnia agimus; ſed ita vivendum eſt nobis, ut pervenire ad æterna feſta mereamur. Tranſeunt cuncta, quæ temporaliter feſtiva celebrantur: curate, qui his ſolemnitatibus intereſtis, ne ab æterna ſolemnitate ſeparemini. Quid prodeſt intereſſe feſtis hominum, ſi deeſſe contingat feſtis Angelorum? Vmbra venturæ ſolemnitatis eſt ſolemnitas præſens. Idcirco hanc annue agimus, ut ad illam, quæ non eſt annua, ſed continua, perducamur. Cum

hæc ſtatuto tempore geritur, ad illius deſiderium memoria noſtra refricatur. Frequentatione ergo gaudij temporalis, ad æterna gaudia mens incaleſcat & ferveat: ut ex veritate lætitia perfruatur in patria, quod de umbra gaudij meditatur in via.

Is qui mitis reſurrexit ex morte, quàm diſtrictus in judicio veniat, prævidete. Hunc tanti pavoris Judicem ante oculos ponite. Hunc venturum timete, ut hunc cum venerit, non timidi, ſed ſecuri videatis Timendus eſt, ne timeatur. Terror ejus nos ad uſum bonę operationis exerceat, metus illius vitam noſtram à pravitate compeſcat. Mihi credite, quia tanto tunc erimus ſecuri de ejus præſentia, quanto nunc eſſe ſatagimus ſuſpecti de culpa.

Longe minus eſt Deo reparare quod fuit, quàm creaſſe quod non fuit.

Mirabilius eſt cælum & terram ex nullis exiſtentibus condidiſſe,

quàm ipſum hominem ex terra reparare.

Quotidiana Dei miracula ex aſſiduitate viluerunt.

In uno grano pauciſſimi ſeminis latet tota,quæ naſcitura eſt, arboris moles.

Et ſemen latet in ſemine.

Hom.27 Ut multi arboris rami ex una radice prodeunt,ſic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.

Præcepta Dominica & multa ſunt & unum, multa per diverſitatem operis, unum in radice dilectionis.

Ille veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum propter Deum.

Aliud eſt quod ſponte impenditur naturæ: aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ.

Cum aliquid exterius à proximo patimur, contra occultum rapto-

rem interius vigilemus, qui numquam melius vincitur, niſi cum raptor exterior amatur. Una quippe & ſumma eſt probatio charitatis, ſi & ipſe diligitur qui adverſatur.

Dum foris invicti eſſe cupimus, intus graviter ferimur.

Dum parva foris defendimus, intus amittimus maxima.

Dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem.

Mori etiam pro inimicis Dominus venerat, & tamen poſiturum ſe animam pro amicis dicebat: ut profecto nobis oſtenderet, quia dum diligendo lucrum facere de inimicis poſſumus, etiam ipſi amici ſunt qui perſequuntur.

Qui tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam ſuam, quando in perſecutionis tempore daturus eſt animam ſuam? Virtus ergo charitatis, ut invicta ſit in perturbatione, nutriatur per miſericordiam in tranquillitate: quatenus

omnipotenti Deo primum diſcat ſua impendere, poſtmodum ſemetipſum.

O quanta eſt miſericordia Conditoris noſtri! Servi digni non ſumus, & amici vocamur. Quanta eſt dignitas hominum, eſſe amicos Dei!

Omne quod ſecundùm præſens ſæculum laboramus, vix uſque ad mortem ſufficit. Mors namque interveniens fructum noſtri laboris abſcindit. Quod vero pro æterna vita agitur, etiam poſt mortem ſervatur: & tunc apparere incipit, cum laborum carnalium fructus cœperit non videri.

Quiſquis jam æterna cognovit, apud ejus animum temporales fructus vileſcant.

Pſ. 126. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.* Omnis qui dormit in morte, perdidit hæreditatem: ſed cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini: quia electi Dei poſtquam pervenerint ad mortem, tunc invenient hæreditatem.

Ille

Ille in nomine Salvatoris petit, qui illud petit quod ad veram ſalutem pertinet. Nam ſi id quod non expedit petitur, non in nomine Jeſu petitur Pater.

In domo Jeſu, Jeſum non quæritis, ſi in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis.

Jubet Deus ut diligatur inimicus,& tamen rogatur Deus ut occidat inimicum.

Fiat oratio ejus in peccatum. *Pſ. 108.* Oratio in peccatum eſt, illa petere quæ prohibet ipſe qui petitur.

Virtus veræ orationis eſt celſitudo charitatis.

Effundit os pro adverſariis precem, ſed utinam cor teneat amorem. Nam ſæpe & orationem pro inimicis fundimus, ſed hanc ex præceptione potius fundimus, quàm ex charitate. Nam & vitam inimicorum petimus, & tamen ne exaudiamur timemus.

Quia internus Judex mentem potius quàm verba conſiderat, pro inimico nil poſtulat, qui pro eo

ex charitate non orat.

Quia ipſe Judex venit, qui Advocatus extitit, ipſe precem exaudit qui fecit.

Debetur nobis,& debemus. Dimittamus quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur à nobis.

Si pro Chriſto corpus non ponimus, ſaltem animum nos vincamus.

Qui poſt vincentes remunerat, nunc decertantes juvat JeſusChriſtus Dominus noſter.

Hom.28 Redemptor noſter, ut oſtenderet quia quæ alta ſunt hominum, deſpicienda ſunt, & quæ deſpecta ſunt hominum, deſpicienda non ſunt, ad filium Reguli ire noluit; *Joan.4.* *Mat.8.* ad ſervum Centurionis paratus fuit.

Humiliari in terra contemnimus, qui de terra ſumus.

Quid apud Deum vilius, quid deſpectius eſſe poteſt, quàm ſervare honorem apud homines, & interni teſtis oculos non timere?

Qui ſe adhuc pro rebus tranſi-

toriis extollit, neſcit in proximo venerari quod manet.

Nolite intra voſmetipſos penſare quid habetis, ſed quid eſtis.

Finis temporalium oſtendit quàm nihil ſit quod tranſire potuit.

Superbia noſtra neſcit penſare homines propter homines. Sola quæ circunſtant hominibus penſat, naturam non aſpicit, honorem Dei in hominibus non aſpicit.

Humilitas cordis noſtri tanto apud Deum in alto eſt, quanto hominibus in imo.

Fidei noſtræ veritatem in vitæ noſtræ conſideratione debemus agnoſcere: tunc enim veraciter fideles ſumus, ſi quod verbis promittimus, operibus complemus. *Hom.29*

Cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra jam coaluiſſe videamus: & ſi ſemel radicem fixerunt, irrigatio ceſſabit.

Miracula tanto majora ſunt, quanto ſpiritalia: tanto majora ſunt, quanto non corpora, ſed ani-

mæ ſuſcitantur. Nam corporalia illa miracula oſtendunt aliquando ſanctitatem, non autem faciunt. Hæc vero ſpiritalia quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non oſtendunt, ſed faciunt: illa habere & mali poſſunt, iſtis autem perfrui niſi boni non poſſunt.

Nolite amare ſigna quæ poſſunt cum reprobis haberi communia: ſed charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto ſecuriora ſunt, quanto & occulta, & de quibus apud Dominum eo major fit retributio, quo apud homines minor eſt gloria.

Qui in nativitate ſua apparuit Deus humilis, in Aſcenſione ſua oſtenſus eſt homo ſublimis.

Oportet ut illuc ſequamur corde, ubi eum corpore aſcendiſſe credimus. Nihil nos jam delectet in infimis, qui patrem habemus in cælis.

Hoc nobis eſt magnopere perpendendum, quia is qui placidus aſcendit, terribilis redibit: & quic-

quid nobis cum manſuetudine præcepit, hoc à nobis cum diſtri-ctione exiget.

Redemptor noſter tanto in iudicium diſtrictior veniet, quanto nobis ante iudicium magnam patientiam prærogavit.

Niſi intus ſit qui laborat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. *Hom.* 30

Si domum noſtram quiſquam dives aut præpotens amicus intraret, omni feſtinantia domus tota mundaretur, ne quid fortaſſe eſſet quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo ſordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis.

De dilectione Conditoris lingua, mens, & vita requirantur. Nunquam eſt Dei amor otioſus: operatur enim magna, ſi eſt: ſi vero operari renuit, amor non eſt.

Incorporeus, ineffabilis atque inviſibilis ignis eſt Deus, atteſtante Paulo: *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Deus quippe ignis dici-

tur, quia per hunc peccatorum rubigo conſumitur.

Ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu Sancti Spiritus corda carnalium incendit.

Bene in igne apparuit Spiritus, quia ab omni corde quod replet; torporem frigoris excutit, & hoc in deſiderium ſuæ æternitatis accendit.

In linguis igneis apparuit Spiritus; quia omnes quos repleverit, ardentes pariter & loquentes facit.

Otioſus eſt ſermo doctoris, ſi præbere non valet incendium amoris.

In columba ſuper Jeſum apparere debuit Spiritus, qui non veniebat ut peccata iam per zelum percuteret, ſed adhuc per manſuetudinem toleraret. At contra ſuper Diſcipulos in igne debuit Spiritus Sanctus demonſtrari, ut hi qui erant ſimpliciter homines, atque ideo peccatores, eos contra ſemetipſos ſpiritalis fervor accenderet: & peccata quibus Deus per man-

ſuetudinem parceret, ipſi in ſe per pœnitentiam punirent. In igne ergo venit in hominibus, in columba vero apparuit in Domino: quia peccata noſtra, quæ pie Dominus per manſuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus caute conſpicere, & ardore ſemper pœnitentiæ cremare.

Gaudet Petrus in verberibus, qui ante in verbis timebat: & qui prius ancillæ vocem requiſitus timuit, poſt adventum Spiritus Sancti vires principum cæſus ſprevit.

Penſate, poſt Incarnationem unigeniti Filii Dei, qualis ſit hodierna ſolemnitas de adventu Spiritus Sancti: ſicut enim illa, ita quoque & hæc eſt honorabilis. In illa Deus in ſe permanens ſuſcepit hominem, in iſta vero homines venientem deſuper ſuſceperunt Deum. In illa Deus naturaliter factus eſt homo, in iſta homines facti ſunt per adoptionem Dii. Si ergo remanere carnales in morte nolumus, hunc vivificantem Spi-

ritum amemus.

Nec Deus vere ſine proximo, nec proximus vere diligitur ſine Deo. Hinc eſt quod idem Spiritus ſecundo legitur Diſcipulis datus, prius à Domino in terra degente, poſtmodum à Domino cælo præſidente. In terra quippe datur, ut diligatur proximus, è cælo vero ut diligatur Deus. Sed cur prius in terra, poſtmodum è cælo, niſi quod patenter datur intelligi, quia iuxta

1. Ioan. 4. Joannis vocem: *Qui fratrem ſuum non diligit, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?*

Meditetur mens in proximo quod exhibeat, ut perfecte mereamur in Deo gaudere cum proximo.

Ad iſtum finem toto corde tendamus, in quo ſine fine lætabimur.

Hom. 31 Dominus ac Redemptor noſter per Evangelium ſuum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur: aliquando aliud verbis, atque aliud rebus: aliquando autem hoc verbis, quod rebus.

Si jam bona cæleſtis patriæ agnovimus, diſpliceat nobis quod curvi ſumus.

Ipſe Deus noſtro gaudet lamento.

Laborioſum non eſt homini relinquere ſua, ſed valde laborioſum eſt relinquere ſemetipſum. Minus quippe eſt abnegare quod habet: valde autem multum eſt abnegare quod eſt. *Hom.* 32

Quicumque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos ſpiritus ſumimus. Nihil autem maligni ſpiritus in hoc mundo proprium poſſident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus: nam ſi veſtibus quiſque cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur.

Aliud ſumus per peccatum lapſi, aliud per naturam conditi, aliud quod fecimus, aliud quod facti ſumus. Relinquamus noſmetipſos quales peccando nos fecimus, & maneamus noſmetipſi quales per gratiam facti ſumus. Qui ſuperbus

fuit, ſi converſus ad Chriſtum humilis factus eſt, ſemetipſum relinquit: ſi luxurioſus quiſque ad continentiam vitam mutavit, abnegavit utique quod fuit. Si avarus quiſque ambire jam deſiit, & largiri didicit propria qui aliena rapiebat, procul dubio ſemetipſum reliquit. Ipſe quidem eſt per naturam, ſed non eſt ipſe per malitiam.

Tunc noſmetipſos relinquimus, tunc noſipſos abnegamus, cum mutamus quod per vetuſtatem fuimus, & ad hoc nitimur quod per novitatem vocamur.

Niſi quis à ſemetipſo non deficiat, ad eum qui ſuper ipſum eſt, non appropinquat: nec valet apprehendere quod ultra ipſum eſt, ſi neſcierit mactare quod eſt.

Duobus modis crux tollitur, cum aut per abſtinentiam afficitur corpus, aut per compaſſionem proximi affligitur animus.

E vicino abſtinentiam carnis nonnunquam vana gloria obſidet: quia dum tenuitas in corpore, dum

pallor in vultu reſpicitur, virtus patefacta laudatur: & tanto ſe celerius foras fundit, quanto ad humanos oculos per oſtenſum pallorem exit.

Plerumque fit, ut hoc quod cauſa Dei agi creditur, pro ſolis humanis favoribus agatur.

Cum ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem juſti ſine fructu peccator operatur.

Crucem Domini in angaria Simon portat.

Simon crucem portat, ſed non moritur.

Compaſſionem animi plerumque latenter obſidet pietas falſa, ut hanc nonnunquam uſque ad condeſcendendum vitiis pertrahat, cum ad culpas quiſque non debeat compaſſionem exercere, ſed zelum.

Perſecutionis tempore ponenda eſt anima: pacis autem tempore, ea quæ amplius dominari poſſunt, frangenda ſunt deſideria terrena.

Longa noſtra deſideria increpat

via brevis: incaſſum multa portantur cum juxta eſt quo pergitur.

Omnipotens Deus largiendo terrena, ſuadet ad cæleſtia.

Si membra ſummi capitis ſumus, imitari eum, cui connectimur, debemus.

Inter nos & Deum diſcordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus ſuos legatos prior miſit, ut noſipſi qui peccavimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubeſcat ergo humana ſuperbia, confundatur quiſque ſi non ſatisfaciat prior proximo, quando poſt culpam noſtram ut ei reconciliari debeamus, & ipſe qui offenſus eſt, legatis intervenientibus obſecrat Deus.

Ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipſe qui judicat.

Hom. 33 Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet quàm aliquid dicere: cujus enim vel ſanctum pectus illæ hujus peccatricis lacrymæ, ad exemplum pœnitendi non emolliant? Conſideravit quid fecit, & noluit

moderari quid faceret. Quia ſemetipſam graviter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit quod verecundaretur foris. Liquet quod illicitis actibus prius mulier intenta, unguentum ſibi pro odore ſuæ carnis adhibuit. Quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, ſed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed jam capillis lacrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat; ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in pœnitentia, quicquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.

Semper neceſſe eſt ut cum peccatores quoſque conſpicimus, noſmetipſos prius in illorum calamitate defleamus: quia fortaſſe in

ſimilibus aut lapſi ſumus, aut labi poſſumus, ſi lapſi non ſumus: & ſi cenſura magiſterij debet ſemper virtute diſciplinæ vitia perſequi, oportet tamen ut ſollicite diſcernamus, quia diſtrictionem debemus vitiis, compaſſionem naturæ. Sed inter hæc nos gemitus cogit, quoſdam noſtri ordinis viros intueri, qui ſacerdotali officio præditi, ſi quid fortaſſe exterius vel tenuiter egerint, protinus ſubiectos deſpiciunt, & peccatores quoſque in plebe poſitos dedignantur, eiſque compati culpam ſuam confitentibus nolunt, ac velut Phariſæi more, à peccatrice muliere tangi deſpiciunt.

Si feriendus eſt peccator, nutriendus eſt proximus. Cum vero iam per pœnitentiam percutit ipſe quod fecit, iam noſter proximus peccator non eſt: quia cum Dei iuſtitiam contra ſe dirigit, & hoc in ſe punit, quod divina iuſtitia reprehendit.

Tanto amplius peccati rubigo

conſumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.

Cæleſtis Medicus ægros non deſpicit, quos etiam de medicamento fieri deteriores videt.

Sic mens per compaſſionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris oſtendat.

Plerumque charitas quibuſdam occupationibus præpedita, & intus flagrat in corde, & tamen non monſtratur in opere: quia & ſol cum nube tegitur, non videtur in terra, & tamen ardet in cælo. *Hom.34*

Vera iuſtitia compaſſionem habet, falſa iuſtitia dedignationem.

Maius de peccatore converſo, quàm de ſtante iuſto gaudium fit in cælo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas uberes fruges profert, quàm

eam quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit.

Pœnitentiam agere eſt, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut diſſimulat, aut ignorat.

Minus eſt valde, ut qui peccata deplorat, ploranda minime committat: & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Nam cogitandum ſummopere eſt, ut qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere: quatenus perfecte Conditori ſuo ſatisfaciat, ut qui commiſit prohibita, ſibimetipſi abſcindere debeat etiam conceſſa: & ſe reprehendat in minimis, qui ſe meminit in maximis deliquiſſe.

Sic agamus pœnitentiam, ut ea quæ commiſimus, perfecte defleamus.

Qui nos ante culpam peccare prohibuit, etiam poſt culpam expectare

pectare ad veniam non deſiſtit. Superbe averſos benigne revocat, & qui ferire nos averſantes potuit, ut revertamur, munera promittit.

Minus jacula feriunt, quæ prævidentur: & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur. *Hom.35*

Mors juſtorum bonis in adjutorium eſt, malis in teſtimonium: ut inde perverſi ſine excuſatione pereant, electi exemplum capiant ut vivant.

Virtus eſt coram hominibus adverſarios tolerare, ſed virtus coram Deo diligere.

Hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit.

Qui idcirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, proculdubio patiens non eſt: quia patientia non in oſtenſione inquiritur, ſed in corde.

Quos irruens gravis languor à vita non ſubtrahit, leviter veniens recidiva febris occidit.

Plerumque evenire patientibus ſolet, ut eo quidem tempore quo adverſa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo dolore pulſentur: & ſic patientiam exhibeant, ut cuſtodire etiam cordis innocentiam curent: ſed poſt paululum hæc ipſa, quæ pertulerint, ad memoriam revocant, igne vehementiſſimi doloris inſtigantur. Argumenta ultionis inquirunt, & manſuetudinem quam tolerantes habuerunt, in retractatione ſua ſemetipſos judicantes perdunt. Callidus namque adverſarius bellum contra duos movet, unum videlicet inflammans, ut contumelias prior inferat: alterum vero provocans, ut contumelias læſus reddat. Sed quia ejus jam victor extitit, quem ad proferendas contumelias commovit, contra illum acrius dolet, quem ad reddendas injurias commovere non potuit. Unde fit ut

tota ſe virtute contra eum erigat, quem contumelias fortiter pertuliſſe conſiderat: Quem quia commovere in ipſa injuriarum jaculatione non potuit, ab aperto certamine interim recedens, in ſecreta cogitatione deceptionis tempus inquirit; & qui in publico bello perdidit, ad exhibendas occulte inſidias exardeſcit: Quietis jam tempore ad victoris animum redit, & vel damno rerum, vel injuriarum iacula ad memoriam reducit, cunctaque quæ ſibi illata ſunt, vehementer exaggerans, fuiſſe intolerabilia oſtendit, & quieſcentis animum tanto furore conturbat, ut plerumque vir patiens illa ſe æquanimiter toleraſſe, etiam poſt victoriam captivus erubeſcat: ſeque non reddidiſſe contumelias doleat, & deteriora rependere, ſi occaſio præbeatur, quærat. Quibus ergo iſti ſunt ſimiles, niſi iis qui per fortitudinem in campo victores ſunt, ſed per negligentiam poſtmodum intra urbis clauſtra

capiuntur? Quibus iſti ſunt ſimiles, niſi iis quos irruens gravis languor à vita non ſubtrahit, ſed leviter veniens recidiva febris occidit.

Ille veraciter patientiam ſervat, qui & ad tempus aliena mala ſine dolore tolerat: & hæc eadem retractans pertuliſſe ſe talia exultat.

Duo ſunt martyrii genera, unum in mente, aliud in mente ſimul & actione. Mori quippe à perſequente, martyrium in aperto opere eſt: ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.

Eſſe martyres poſſumus, etiamſi nullo percutientium ferro trucidemur.

Sancta Eccleſia electorum floribus plena, habet in pace lilia, in bello roſas.

Tribus modis virtus patientiæ exerceri ſolet: alia namque ſunt quæ à Deo, alia quæ ab antiquo adverſario, alia quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo perſecutio-

nes, damna & contumelias: ab antiquo vero adverſario tentamenta; à Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus tribus modis vigilanti oculo ſemetipſam debet mens circumſpicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta adverſarii ſeducatur ad delectationem vel conſenſum delicti: ne contra flagella opificis, ad exceſſum promat murmurationis: perfecte enim adverſarius vincitur, quando mens noſtra & inter tentamenta eius ad delectationem atque conſenſum non trahitur: & inter contumelias proximi cuſtoditur ab odio: & inter flagella Dei compeſcitur à murmuratione.

Si fixa mente manſura damna pertimeſcitis, damna rerum tranſeuntium gravia non putatis: ſi æternæ retributionis gloriam concupiſcitis, temporali iniuria non doletis.

Tolerate aduerſarios veſtros, ſed ut fratres diligite quos toleratis.

Hom. 36 Hoc diſtare inter delicias corporis & cordis ſolet; quod corporales deliciæ cum non habentur, grave in ſe deſiderium accendunt: cum vero auide eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpiritales delitiæ, cum non habentur, in faſtidio ſunt; cum vero habentur, in deſiderio: tantoque à comedente amplius eſuriuntur, quanto & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet; experientia diſplicet: in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet: in illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat: in iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit.

Augent ſpiritales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant: quia quanto magis earum ſapor percipitur, eo amplius cognoſcitur, quod avidius ametur.

Superna nos pietas nec ſe deſerentes deſerit.

Vir uniuſcuiuſque fidelis animæ

Deus eſt, quia videlicet ei eſt coniuncta per fidem.

Plerumque poſtquam in hoc mundo non poſſumus obtinere quæ volumus, poſtquam in terrenis deſideriis de impoſſibilitate laſſamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit quod diſplicebat, & is cuius nobis amara fuerant præcepta, repente dulceſcit in memoria.

Sit res temporalis in uſu, æterna in deſiderio.

Ille uxorem habet quaſi non habens, qui ſic ſtudet placere coniugi, ut tamen non diſpliceat Conditori.

Flet, ſed tanquam non defleat, qui ſic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris ſemper animum conſoletur.

Gaudet, ſed tanquam non gaudeat, qui ſic de temporalibus bonis hilareſcit, ut tamen ſemper tormenta perpetua conſideret.

Emit, ſed quaſi non poſſidens, qui & ad uſum terrena præparat,

& tamen cauta cogitatione prævidet quod hæc citius relinquat.

Mundo utitur, ſed quaſi non utatur, qui & neceſſaria cuncta exterius ad vitæ ſuæ miniſterium redigit, & tamen hæc eadem non ſinit menti ſuæ dominari, ut ſubjecta foris ſerviant, & nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant.

Hom. 37 Si conſideremus, quæ & quanta ſunt quæ nobis promittuntur in cælis, vileſcunt animo omnia quæ habentur in terris.

Terrena ſubſtantia ſupernæ felicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium.

Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors eſt potius dicenda quàm vita.

Ametur quilibet in hoc mundo adverſarius; ſed in via Dei contrarius non ametur etiam propinquus.

Omne quod agimus, prævenire per ſtudium conſiderationis debemus.

Hoc inter terrenum & cæleſte
ædificium

ædificium diſtat, quod terrenum ædificium expenſas colligendo conſtruitur: cæleſte vero ædificium expenſas diſpergendo.

In bonis operibus intenti, niſi contra malignos ſpiritus ſollicite vigilemus, ipſos irriſores patimur, quos ad malum perſuaſores habemus.

Singulariter ad abſolutionem noſtram oblata cum lacrymis & benignitate mentis ſacri Altaris hoſtia ſuffragatur: quia is qui in ſe reſurgens à mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in ſuo myſterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus.

Permixta eſt *Eccleſia* diverſitate filiorum: quia ſic omnes ad fidem generat, ut tamen omnes per immutationem vitæ ad libertatem ſpiritalis gratiæ culpis exigentibus non perducat. *Hom. 38*

Quouſque hîc vivimus, neceſſe

eſt ut vitam præſentis ſæculi permixti peragamus. Tunc autem diſcernimur cum pervenimus.

Boni ſoli nuſquam ſunt, niſi in cælo: & mali ſoli nuſquam ſunt, niſi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cælum & infernum ſita eſt, ſicut in medio ſubſiſtit, ita utrarumque partium cives communiter recipit: quos tamen ſancta Eccleſia & nunc indiſcrete ſuſcipit, poſtmodum in egreſſione diſcernit.

Quiſquis malos non tolerat, ipſe ſibi per intolerantiam ſuam teſtis eſt, quia bonus non eſt.

In tritura areæ grana ſub paleis premuntur.

Roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina quæ pungit.

Duos filios habuit primus homo; ſed unus horum electus eſt, alter reprobus fuit. Tres filios Noë arca continuit: ſed duo ex his electi ſunt, & unus reprobus fuit. Duos Abraham filios habuit: ſed unus electus eſt, alter reprobus

fuit. Duos filios Iſaac habuit: ſed unus electus eſt, alter reprobatus. Duodecim filios habuit Jacob: ſed ex his unus per innocentiam venditus eſt, alij vero per malitiam venditores fratris fuerunt. Duodecim Apoſtoli ſunt electi: ſed ex his unus admixtus eſt reprobus, qui probaret undecim qui probarentur. Septem ſunt Diaconi ab Apoſtolis ordinati: ſed ſex in fide recta permanentibus, unus extitit auctor erroris.

In hac Eccleſia nec mali ſine bonis, nec boni ſine malis eſſe poſſunt.

Bonus non fuit, quem malorum pravitas non probavit.

Tanto magis mali tolerandi ſunt, quanto & amplius abundant; quia & in areæ tritura pauca ſunt grana quæ ſervantur horreis, & grandes acervi palearum, qui ignibus comburuntur.

Congaudent Angeli, cum ad cælum aſſumuntur electi.

Ille veraciter Deum diligit, qui

ſibi de ſe nihil relinquit.

Acceſſus nobis cæleſtis civitatis non panditur, ſi in hac Eccleſia, quæ pro eo quod adhuc foris eſt, veſtibulum dicitur, Dei & proximi dilectio non tenetur.

Si & quod impendi nobis recte volumus, hoc aliis impartimur; & quod nobis fieri nolumus, hoc aliis facere ipſi devitamus, charitatis jura illæſa ſervamus.

Ille propter Deum diligit eos quos diligit, qui jam & eos diligere, à quibus non diligitur, ſcit: Probari enim charitas per ſolam odij adverſitatem ſolet.

Quia vocati ſumus, novimus: ſi ſumus electi, neſcimus.

Tanto neceſſe eſt ut unuſquiſque noſtrum in humilitate ſe deprimat, quanto ſi ſit electus, ignorat.

Nonnunquam mentes audientium plus exempla fidelium, quàm docentium verba convertunt.

Nemo de ſuis jam operibus ſecurus gaudeat, quando adhuc in hujus vitæ incertitudine qui finis

ſequatur, ignorat.

Perverſa anima rebus præſentibus dedita, in terrenis voluptatibus reſoluta, abſcondit ſibi mala ſequentia: quia prævidere futura refugit, quæ præſentem lætitiam perturbant. *Hom 36*

Si qua eſt præſentis temporis, ita eſt agenda lætitia, ut nunquam amaritudo ſequentis judicij recedat à memoria: quatenus dum mens pavida extremæ ultionis timore transfigitur, quantum nunc præſens lætitia, tantum poſt ira ſubſequens temperetur.

Sequentis ira judicij tanto tunc diſtrictior portabitur, quanto nunc & inter culpas minime timetur.

Pravam quamque animam omnipotens Deus multis modis viſitare conſuevit: Nam aſſidue hanc viſitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando vero miraculo: ut ea vera quæ neſciebat, audiat, & tamen adhuc ſuperbiens atque contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis devincta,

malum quod fecit, erubeſcat.

Templum & domus Dei eſt ipſa mens atque conſcientia fidelium.

Cogitandum valde eſt, quantum nobis erit terribilis hora noſtræ reſolutionis, qui pavor mentis, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ oblivio tranſactæ felicitatis, quæ formido & conſideratio Judicis.

Cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus, quàm terribilis ſua in nobis opera requirens in die noſtri exitus princeps hujus mundi veniat, ſi etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæſivit, in quo ſuum invenire nihil potuit. *Venit*
Ioan.14 *enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.*

Qui pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos à debita animæ morte liberavit.

In verbis ſacri eloquij prius ſervanda eſt veritas hiſtoriæ, & poſtmodum requirenda ſpiritalis intelligentia allegoriæ. Tunc nam-

que allegoriæ fructus ſuaviter carpitur, cum prius per hiſtoriam in veritatis radice ſolidatur.

Nemo veſtimenta pretioſa, niſi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris eſſe videatur.

Quia pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur: quia nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui,ubi ab aliis non poſſit videri.

Ut peccatores in ſupplicio amplius puniantur, & eorum vident gloriam, quos contempſerunt; & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amaverunt.

Credendum eſt, quod ante retributionem extremi Judicij, injuſti in requie quoſdam juſtos conſpiciunt, ut eos videntes in gaudio, non ſolum de ſuo ſupplicio, ſed etiam de illorum bono crucientur: juſti vero in tormentis ſemper intuentur injuſtos, ut hinc eorum gaudium creſcat: quia malum conſpiciunt, quod miſericor-

diter evaſerunt, tantoque majores Redemptori ſuo gratias referunt, quanto vident in aliis quod ipſi perpeti, ſi eſſent relicti, potuerunt; nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud juſtorum animum non fuſcat aſpecta pœna reproborum: quia ubi jam compaſſio miſeriæ non erit, minus procul dubio beatorum lætitia non valebit.

Quotidie Lazarum, ſi quærimus, invenimus: quotidie Lazarum, etſi non quærimus, cernimus. Ecce importune ſe pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis intercesſores venient. Certe nos omnino rogare debuimus, qui rogamur. Videte ſi negare debemus quod petimur, quando patroni ſunt qui petunt.

Ante ſupplicium cogitate de ſupplicio.

Cum quoſlibet in hoc mundo abjectos aſpicitis, etiam ſi qua reprehenſibilia eorum eſſe videantur, nolite deſpicere: quia fortaſſe quos morum infirmitas vulnerat,

medicina paupertatis curat. Quorum ſi qua ſunt alia quæ debeant jure reprehendi: hæc, ſi vultis, ad uſum veſtræ mercedis inflectite, ut ex ipſis eorum vitiis cumulentur vobis incrementa pietatis: quatenus panem pariter detis & verbum, panem refectionis cum verbo correptionis: & duo à nobis alimenta percipiat, qui unum quærebat, dum & exterius cibo, & interius ſatiatur eloquio.

Pauper, cum reprehenſibilis cernitur, moneri debet, & deſpici non debet. Si vero reprehenſionis nihil habet, venerari ſummopere ſicut interceſſor debet.

Plerumque hi, quos iam perfectos homines æſtimant, adhuc in oculis ſummi opificis aliquid imperfectionis habent: ſicut ſæpe imperiti homines necdum perfecte ſculpta ſigilla conſpicimus, & iam quaſi perfecta laudamus, quæ adhuc artifex conſiderat & limat, laudari iam audit, & tamen ea tundere meliorando non deſinit.

Paſtoralis curæ Pars I. Cap. I. Paſtorum ſæpe imperitia meritis congruit ſæpe juſtorum: qui quamvis lumen ſcientiæ ſua culpa exigente non habeant, diſtricto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum ignorantiam, hi etiam qui ſequuntur, offendant.

cap. 2. Nemo amplius in Eccleſia nocet, quàm qui perverſe agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet.

In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.

cap. 5. Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum ſolius contemplationis ſtudiis inardeſcunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt, ſeceſſum ſpeculationis petunt. De quo ſi diſtricte judicentur, ex tantis procul dubio rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt.

cap. 6. Humilitas, ſi cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera eſt, cum ad reſpuendum hoc quod utiliter ſubire præ-

cipitur, pertinax non eſt.

Tunc laudabile fuit Epiſcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad ſupplicia graviora pervenire.

Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Ipſe ergo ſibi teſtis eſt, quia Epiſcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis miniſterium, ſed honoris gloriam quærit. *cap. 8. 1. Tim. 3*

Mundi lucrum quæritur ſub ejus honoris ſpecie, quo mundi deſtrui lucra debuerant.

Plerumque hi qui ſubire magiſterium paſtorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt: & quamvis hoc elationis intentione appetunt, operaturos tamen ſe magna pertractant: fitque ut aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat. Nam ſæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat: de mundi autem gloria non amare quod amat. *cap. 9.*

Nequaquam valet in culmine humilitatem diſcere, qui in imis poſitus non deſinit ſuperbire.

Neſcit laudem, cum ſuppetit, fugere, qui ad hanc didicit, cum deeſſet, anhelare.

Nequaquam vincere avaritiam poteſt, quando ad multorum ſuſtentationem tenditur is, cui ſufficere propria nec ſoli potuerunt.

Quieto mari recte navem & imperitus nauta dirigit: turbato autem tempeſtatibus & fluctibus, etiam peritus ſe nauta confundit.

Cum is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

Pars 2. cap. 1. Tantum debet actionem populi actio tranſcendere præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris.

cap. 6. Cuncti qui præſunt, non in ſe poteſtatem debent ordinis, ſed æqualitatem penſare conditionis, nec præeſſe ſe hominibus gaudeant, ſed prodeſſe.

Secularia negotia aliquando ex

compaſſione toleranda ſunt, nunquam vero ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggravant, hanc ſuo vitam pondere ad ima de cæleſtibus immergant.

Tunc verbi ſemen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. *cap. 7.*

Hoſtis Redemptoris eſt, qui per recta opera quæ facit, ejus vice ab Eccleſia amari concupiſcit: quia adulterinæ cogitationis eſt reus, ſi placere puer ſponſæ oculis appetit, per quem ſponſus dona tranſmiſit.

Ille ſeipſo amplius veritatem deſiderat amari, qui ſibi à nullo vult contra veritatem parci.

Petrus increpationem Pauli libenter accepit: David increpationem ſubditi humiliter audivit. *cap. 8.*

Non oportet ut rectores boni placere hominibus appetant, ſed ut ſuæ æſtimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant, non ut ſe amari deſiderent, ſed ut dilectionem ſuam quaſi

quandam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris ſui introducantur.

Difficile eſt, ut quamlibet recta denuntians prædicator qui non diligitur, libenter audiatur.

Debet qui præeſt, & ſtudere ſe diligi, quatenus poſſit audiri, & tamen amorem ſuum pro ſeipſo non quærere.

cap. 9. Plerumque vitia virtutes ſe eſſe mentiuntur.

Pars 3. Prolog. Pro qualitate audientium formari debet ſermo doctorum, ut & ſua ſingulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedant.

admonitio 3. Plerumque dura vulnera per lenia fomenta molleſcunt.

adm. 5. Scire Prælati debent, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt.

adm. 14 Bona pro ſemetipſis amanda ſunt, & non pœnis compellentibus exequenda.

Qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, ut audacter illicita committat.

Vulnera clauſa plus cruciant. *adm. 15.*

Lingua diſcrete frænanda eſt, non inſolubiliter obliganda.

Dum otioſa cavere verba negligimus, ad noxia quandoque pervenimus.

Otioſum verbum eſt, quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret.

Nabal ebrio culpam ſuam Abigail laudabiliter tacuit, quam digeſto vino laudabiliter dixit. *adm. 17.*

Plerumque elatos utilius corripimus, ſi eorum correptionibus quædam laudum fomenta miſceamus: inferenda namque ſunt illis aut talia bona quæ in ipſis ſunt, aut dicendum certe quæ poterant eſſe, ſi non ſunt: & tunc demum reſecanda ſunt mala quæ nobis diſplicent, cum prius ad audiendum eorum placabilem mentem fecerint præmiſſa bona quæ placent. Nam *adm. 18.*

& equos indomitos blanda prius manu tangimus, ut eos nobis plenius poſtmodum etiam per flagella ſubigamus. Et amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adjungitur, ne ea quæ ſaluti profutura eſt, in ipſo guſtu aſpera amaritudo ſentiatur: & dum guſtus per dulcedinem fallitur, humor mortiferus per amaritudinem vacuatur.

adm.21. Nonnulli huius mundi divites, cum fame crucientur Chriſti pauperes, effuſis largitatibus nutriunt hiſtriones.

adm.22 Aliud eſt pro peccatis miſericordiam facere: aliud pro miſericordia facienda peccare, quæ jam nequaquam miſericordia nuncupari poteſt.

adm.27 Ægro quem Medicus deſperat, concedit ut cuncta quæ concupiſcit, accipiat.

Qui ſanari poſſe creditur, à multis quæ appetit, prohibetur.

Pueris nummos ſubtrahimus, quibus tota ſimul patrimonia hæredibus reſervamus.

Admonendi

Admonendi ſunt & conjuges, ut eorum quiſque non tam quæ ab altero tolerat, quàm quæ ab ipſo tolerantur, attendat: ſi enim ſua quæ portantur, conſideret, ea quæ ab altero ſuſtinet, levius portat. *adm. 28*

Quiſquis bonum majus ſubire propoſuit, bonum minus quod licuit, illicitum fecit.

Plus terram diligimus, quæ poſt ſpinas exarata fructus uberes producit, quàm quæ nullas ſpinas habuit, ſed tamen exculta ſterilem ſegetem gignit. *adm. 29*

In examine recti Judicis mutat merita ordinum qualitas actionum.

Ita plerumque mali inutiliter compunguntur ad juſtitiam, ſicut plerumque boni innoxie tentantur ad culpam.

Neque ſcriptor ſi à ſcriptione ceſſaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ ſcripſerat, delevit: nec qui contumelias irrogat, ſi ſolummodo tacuerit, ſatisfecit; cum profecto neceſſe ſit ut verba præ- *adm. 31.*

miſſæ ſuperbiæ verbis ſubjunctæ humilitatis impugnet: nec debitor abſolutus eſt, quia alia non multiplicat, niſi & illa quæ ligaverat, ſoluat. Ita & cum Deo delinquimus, nequaquam ſatisfacimus, ſi ab iniquitate ceſſamus, niſi voluptates quoque quas dileximus, è contrario appoſitis lamentis inſequamur.

adm. 32 Dum mens erubeſcit videri quod tamen eſſe non metuit, erubeſcit quandoque eſſe quod fugit videri.

adm. 34 Altos gurgites fluminum parvæ, ſed innumeræ replent guttæ pluviarum.

Hoc agit ſentina latenter excreſcens, quod procella patenter ſæviens.

Admonendi ſunt qui quamvis in minimis, ſed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam conſiderent qualia, ſed quanta committunt.

Qui peccata minima flere ac devitare negligit, à ſtatu iuſtitiæ, non quidem repente, ſed partibus totus cadit.

Nonnunquam in parva deterius quàm in majori culpa peccatur: major enim quo citius quia culpa ſit agnoſcitur, eo etiam celerius emendatur: minor vero, dum quaſi nulla creditur, eo pejus quo & ſecurius in uſu retinetur. Unde fit plerumque, ut mens aſſueta malis levibus, nec graviora perhorreſcat, atque ad quandam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat: & tanto in majoribus contemnat pertimeſcere, quanto in minimis didicit non timendo peccare.

Quiſquis laudis concupiſcentiam calcare jam ſufficit, ædificationis fraudem perpetrat, ſi bona quæ agit occultat.

Lege non conſtringitur Spiritus Sancti donum. *Dialog. lib. 1. c. 1.*

Uſus rectæ converſationis eſt, ut præeſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicerit, nec obedientiam ſubjectis imperet, quam prælatis non novit exhibere.

Sunt nonnulli qui ita per magi-

ſterium Spiritus intrinſecus docentur, ut etſi eis exterius humani magiſterij diſciplina deſit, magiſtri intimi cenſura non deſit.

Mens quæ divino Spiritu impletur, habet evidentiſſima ſigna ſua, virtutes ſcilicet & humilitatem.

cap. 4. Opus ex dono eſt, donum ex opere. Omne quippe opus dona præveniunt, quamvis ex ſubſequenti opere ipſa etiam dona ſuccreſcunt.

cap. 5. Qualis quiſque apud ſe lateat, contumelia illata probat.

Sicut ſuperbi honoribus, ſic plerumque humiles ſua deſpectione gratulantur. Cumque ſe & in alienis oculis viles aſpiciunt, idcirco gaudent, quia hoc judicio confirmari intelligunt, quod de ſe & ipſi apud ſemetipſos habuerunt.

cap. 8. Obtineri nequaquam poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerunt; ſed ea quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, ut precibus obtineantur. Nam ipſa quoque perennis regni prædeſtinatio

ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, ut ad hoc electi pro labore perveniant: quatenus poſtulando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus ante ſæcula diſpoſuit donare.

Redemptor noſter per mortale corpus omne quod egit, hoc nobis in exemplum actionis præbuit: ut pro noſtrarum virium modulo ejus veſtigia ſequentes, inoffenſo pede operis præſentis vitæ carpamus viam. *cap. 9.*

Miraculum faciens *Dominus*, & tacere juſſit, & tamen taceri non potuit: ut videlicet & electi ejus exempla doctrinæ illius ſequentes in magnis quæ faciunt, latere quidem in voluntate habeant, ſed ut proſint aliis prodantur inviti: quatenus & magnæ humilitatis ſit quod ſua opera taceri appetunt, & magnæ utilitatis ſit, quod eorum opera taceri non poſſunt.

Metuenda tanto eſt ira juſtorum, quanto & conſtat quia in eorum cordibus ille præſens eſt, qui

ad inferendam ultionem quam voluerit, invalidus non eſt.

Exaudire preces in ſe ſperantium etiam in rebus vilibus dignatur Deus.

Per minima quæ percipimus, ſperare majora *debemus*.

cap. 10. Cum perverſa eſt intentio quæ præcedit, pravum eſt omne opus quod ſequitur, quamvis eſſe rectum videatur.

Sunt nonnulli qui idcirco bona facere ſtudent, ut gratiam alienæ operationis obnubilent.

cap. 12. Vitæ vera æſtimatio in virtute eſt operum, non in oſtenſione ſignorum.

Sunt plerique, qui etſi ſigna non faciunt, ſigna tamen facientibus diſpares non ſunt.

Petrus ſuper mare pedibus ambulavit: Paulus in mari naufragium pertulit.

Vita, & non ſigna quærenda ſunt.

Lib. 2. cap. 2. Vaſa ſacra ſunt fidelium mentes.

Duobus modis extra nos duci- *cap. 3.*
mur; quia aut per cogitationis lapſum ſub noſmetipſos recidimus, aut per contemplationis gratiam ſuper noſmetipſos levamur.

Sæpe agitur in animo perfectorum, quod ſilentio prætereundum non eſt: quia cum laborem ſuum ſine fructu eſſe conſiderent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant.

Nathan à Rege requiſitus ſi con- *cap. 21.*
ſtruere templum poſſet, prius conſenſit, & poſtmodum prohibuit.

Nobilioris naturæ eſt ſpiritus *cap. 22.*
quàm corpus.

Qui devota mente Deo adhæ- *cap. 30.*
rent, cum rerum neceſſitas expoſcit, exhibere ſigna modo utroque ſolent, ut mira quæque ex prece faciant, aliquando ex poteſtate: Quia utroque modo miracula exhibeant, teſtatur Petrus, qui Tabitam mortuam orando ſuſcitavit, Ananiam vero & Saphiram mentientes morti increpando tradidit.

Animæ videnti Creatorem, an- *cap. 35.*

guſta eſt omnis creatura.

Lib. 3. Bonorum facta innoteſcere citius ſimilibus ſolent.

cap. 1. Dum me audire contingit quod imitari non valeo, flere magis libet quàm aliquid dicere.

cap. 7. Oportet & de Dei nos ſemper miſeratione confidere, & de noſtra infirmitate formidare.

cap. 14. Magna eſt omnipotentis Dei diſpenſatio, & plerumque contingit, ut quibus majora bona præſtat, quædam minora non tribuat, ut ſemper eorum animus habeat unde ſe ipſe reprehendat: quatenus dum appetunt perfecti eſſe, nec poſſunt, & laborant in hoc quod non acceperunt, nec tamen laborando prævalent, in his quæ accepta habent, ſe minime extollant: ſed diſcant quia ex ſemetipſis majora bona non habent, qui in ſemetipſis vincere parva vitia atque extrema non poſſunt.

Perducto Dominus ad terram repromiſſionis populo, cunctos fortes atque præpotentes adverſarios

rios ejus extinguens, Philiſthæos atque Chananæos diutius reſervavit, ut, ſicut ſcriptum eſt, *in eis experiretur Iſraël:* quia nonnunquam eis etiam, quibus magna dona tribuit, parva quædam reprehenſibilia relinquit: ut ſemper habeant contra quod bellum gerant, & devictis magnis hoſtibus mentem non erigant, quando eos adhuc adverſarij etiam minimi fatigant. *Iudic.3.*

Si apud diſtrictum Judicem otioſus ſermo reprehenditur, quanto magis & noxius?

Apud omnipotentis Dei ſingularem munditiam atque ejus ſimplicem naturam multum humani cordis munditia atque ſimplicitas valet.

Valde difficile eſt ut lingua ſæcularium mentem non inquinet, quam tangit: quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condeſcendimus, pauliſper aſſueti, hanc ipſam locutionem, quæ nobis indigna eſt, etiam delectabiliter te- *cap.15.*

nemus, ut ex ea jam redire non libeat, ad quam velut ex condeſcenſione deducti venimus inviti.

cap. 19. Sine labore certaminis non eſt palma victoriæ.

cap. 20. Si antiquus hoſtis à mente cœperit expelli, ex divina largitate plerumque agitur, ut non ſolum jam timeri non debeat, ſed ipſe etiam bene viventium virtute terreatur.

cap. 21. Propoſitæ regulæ noſtræ actionis ſunt facta veritatis.

cap. 24. Caro, quæ ſunt ſpiritus, capere non valet.

cap. 26. Duo ſunt martyrij genera, unum in occulto, alterum quoque in publico. Nam etſi perſecutio deſit exterius, martyrij meritum in occulto eſt, cum virtus ad paſſionem flagrat in animo.

Lib. 4. cap. 2. Sine fide, neque infidelis vivit.

cap. 3. Tres vitales ſpiritus creavit omnipotens Deus: unum qui carne non tegitur: alium qui carne tegitur, & non cum carne moritur: tertium qui carne tegitur, & cum

carne moritur. Spiritus eſt qui carne non tegitur, Angelorum: ſpiritus qui carne tegitur, & non cum carne moritur, hominum: ſpiritus qui carne tegitur, & cum carne moritur, jumentorum omniumque brutorum animalium. Homo itaque ſicut in medio creatus eſt, ut eſſet inferior Angelo, ſuperior jumento: ita aliquid habet commune cum ſummo, aliquid commune cum infimo: immortalitatem ſcilicet ſpiritus cum Angelo, mortalitatem vero carnis cum jumento: quouſque & ipſam mortalitatem carnis gloria reſurrectionis abſorbeat, & inhærendo ſpiritui caro ſervetur in perpetuum: quia & ipſe ſpiritus inhærendo carni ſervatur in Deum.

Natura animæ inviſibilis eſt, atque ita ex corpore inviſibiliter egreditur, ſicut in corpore inviſibiliter manet. *cap. 5.*

Nulla viſibilia niſi per inviſibilia videntur: ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aſpi-

cit, nec tamen ipſe corporeus ocu-lus aliquid corporeum videret, niſi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentem quæ non videtur, & incaſſum patet ocu-lus qui videbat.

cap. 25. Perfectorum animæ, mox ut hu-jus carnis clauſtra exierint, in cæ-leſtis regni ſedibus recipiuntur.

cap. 29. Ignem gehennæ corporeum eſſe non ambigo, in quo certum eſt corpora cruciari.

cap. 39. Qualis hinc quiſque egreditur, talis in judicio præſentatur.

cap 41. Cum nox finiri, & dies incipit oriri, ante ſolis ortum ſimul aliquo modo tenebræ cum luce commix-tæ ſunt, quouſque diſcedentis no-ctis reliquiæ in luce diei ſubſe-quentis perfectæ tractantur.

cap. 43. Unus quidem eſt gehennæ ignis, ſed non uno modo omnes cruciat peccatores: uniuſcujuſque etenim quantum exigit culpa, tanta illic ſentitur pœna.

cap 44. Conſtat, & incunctanter verum eſt, quia ſicut finis non eſt gaudio

bonorum, ita finis non erit tormento malorum.

Omnipotens]Deus,quia pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur: quia vero juſtus eſt,ab iniquorum ultione in perpetuum non ſedatur.

Nonnunquam omnipotens Deus trepidantium mentes quibuſdam prius revelationibus roborat,ut in morte minime pertimeſcant. *cap. 47.*

Quos gravia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis ſi in Eccleſia ſepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem ſacra loca conveniunt, ſuorum quoque ſepulchra conſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.

Quos peccata gravia deprimunt, non ad abſolutionem potius quàm ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in Eccleſiis ponuntur. *cap. 50.*

Si culpæ poſt mortem inſolubiles non ſunt, multorum ſolet animas etiam poſt mortem ſacra oblatio hoſtiæ ſalutaris adiuvare: ita *cap. 55.*

ut hanc nonnunquam ipſe defunctorum animę expetere videantur.

cap. 58. Tutior via ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe dum vivit per ſe. Beatius quippe eſt liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere.

Quis fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus iungi, unum quoque ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri?

cap. 59. Qui Paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc vere pro nobis hoſtia erit Deo, cum noſipſos hoſtiam fecerimus.

cap. 60. Ille recte ſui delicti veniam poſtulat, qui prius hoc quod in ipſo delinquitur, relaxat.

Audenter dico, quia ſalutari hoſtia poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem Deo ipſi hoſtia fuerimus.

Minoris exceſſus eſt veritatem non cognoſcere, quàm in eadem cognita non manere. *Ep. l. 1. Indict. 9 Ep. 16.*

Curandum ſummopere eſt, ut rector cogitatione ſit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc ſuſceperit officii, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat. *Ep. 24.*

Qui loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare.

Illa vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo præcipit,oſtendendo adjuvat ut fiat.

Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit.

Fit plerumque ut, dum rectoris animus aliena tentamenta condeſcendendo recognoſcit,auditis tentationibus & ipſe pulſetur.

Sicut ſancti Evangelii quatuor Libros, ſic quatuor Concilia ſuſci-

pere, & venerari me fateor: Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arrii dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur: Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur: Chalcedonenſe vero, in quo Eutychis Dioſcorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cuiuſlibet vitæ atque actionis norma conſiſtit.

Ep. 33. Venantio Cancellario Italiæ. Nullus tibi fidelior eſſe ad conſilium poteſt, quàm qui non tua, ſed te diligit.

Sic culpam tuam inſequor, ut perſonam diligam. Sic perſonam diligo, ut culpæ vitium non amplectar.

**Hoc dictum ſecularis auctoris eſt.* * Cum amicis omnia tractanda ſunt, ſed prius de ipſis.

Ep. 41. In una fide nihil efficit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa.

Ep. 45. Si proximorum neceſſitatibus

habita compaſſione benigna mente concurrimus, noſtris procul dubio petitionibus Dominum clementem reperimus.

Sicut lucernæ lumen per collimitantia quæque, quo lucet, loca diffunditur; ita cujuſlibet perſonæ bonorum actuum probitas, non ſolum quod egit, ſed per diverſas provincias fama loquente cognoſcitur. *Ep. 74.*

Si gregi cura paſtoris defuerit, facile laqueos inſidiatoris incurrit.

Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet *Lib. 2. Indict. 10. Ep. 24.*

Qui ſe contra præpoſitos ſuos erigunt, profecto oſtendunt quia ſervi Dei eſſe contemnunt.

Non grande eſt iis nos eſſe humiles, à quibus honoramur: quia & hoc ſeculares quique faciunt. Sed illis maxime humiles eſſe debemus, á quibus aliqua patimur.

Nulli fas eſt retributionem præmiorum expectare pro culpa. *Ep. 36.*

Incongruum nimis eſt de ea nos, quam dicitis perſecutione gloriari, *Univerſis Epiſcopis*

per Hiberniā, de cauſ. 3. Capitulorū. per quam vos conſtat ad æterna præmia minime provehi.

Ep 37. Hunc ſolum mihi amicum æſtimo, per cujus linguam ante apparitionem diſtricti Judicis meæ maculas mentis tergo.

Laudes meas per irriſionem dici exiſtimo, quas per veritatem minime recognoſco.

Ep. 39. Grave eſt pondus Sacerdotij, prius quippe eſt Sacerdoti neceſſe ut cæteris ad exemplum vivat, ac deinde ſervandum ut mentem per oſtenſa exempla non elevet.

Indict. II. Ep. 29. Pius Conditor noſter, cum ad judicium venerit, tanto nos majore gratia conſolabitur, quanto nunc conſpicit, quod à nobis noſtra delicta puniuntur.

Ep. 43. Sicut Eccleſia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore invadere alienas non oportet.

Ep. 44. Tribunal Judicis æterni ſecurus aſpiciet, quiſquis reatus ſui conſcius digna eum modo pœnitentia placare contendit.

In rebus ambiguis abſolutum non debet eſſe judicium.

Procul dubio Deus offenditur,ſi ad ſacros Ordines quiſquam non ex merito, ſed ex favore (quod abſit) aut ex venalitate provehitur. *Ep. 47.*

In hac vita miro Dei omnipotentis moderamine idcirco agitur, vel proſperitatem adverſitas, vel adverſitatem proſperitas ſubſequatur: quatenus & humiliati diſcamus, quicquid deliquimus,flere, & iterum exaltati adverſitatis memoriam, quaſi humilitatis anchoram teneamus. *Ep. 51.*

Illa magis cavenda eſt diſcordia, cui ſatellitium pax præbet exterior. *Ep. 58.*

Religioſis deſideriis ſine difficultate præſtari decet effectum. *Ep. 59.*

Multi ſunt qui poſſunt religioſam vitam etiam cum ſeculari habitu ducere: & plerique ſunt qui niſi omnia reliquerint,ſalvari apud Deum nullatenus poſſint. *Ep. 62.*

A cunctis zelum habentibus ipſi quoque inſequendi ſunt, qui ma- *Ep. 63.*

ligni ſpiritus adjutores fiunt.

Qui culpam plangunt luxuriæ, & voluptatem carnis in dolorem vertunt, à magiſtris ſentire non debent aſperitatem diſciplinæ, ne ipſe humani generis Redemptor minus ametur, ſi pro eo anima plus quàm debet atteritur.

Æthiops in balneum niger intrat, & niger egreditur, & tamen balneator nummos accipit.

Epiſt. lib. 3. Indict. 12. Ep. 5. Contumelia Sacerdotij eſt de divinis cultibus admoneri: quod enim ipſi debent exigere, turpiter exiguntur.

Ep. 35. Eſt profectò graviſſimum laqueo diabolicæ fraudis irretiri permittere, quos prius poſſumus, ne alligentur, eripere.

Melius eſt, ne quiſquam vulneretur, obſiſtere, quàm vulneratus qualiter ſanari poſſit, exquirere.

Indict. 13. Ep 3. Optimum eſt ut in his quæ foris corrigenda ſunt, prius charitas interna ſervetur, ut ſimus mente ſubjecti.

Ep. 8. Manifeſtum bonitatis eſſe liquet

indicium, in unius electione cunctorum convenire conſenſum.

* Tantummodo ſe clericis ſuis dominum exhibet. Ep. 15. * Ioan. Episc. Rauennæ.

Nec appetas ultra videri quàm es, ut poſſis ultra eſſe quàm videris.

Dominica patienter debent ſuſtineri flagella. Ep. 16.

Frequenter ad emendationem ægritudo conceditur.

Neceſſe eſt ut Creatori noſtro etiam in infirmitate poſiti gratias referamus, & ut in illa nobis vita caſtigatio proficiat, exoremus.

Quia omnipotenti Deo inceſſanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius eſſe remedium ſuſpicor, ſi inceſſantibus quoque plagis ferior. Ep. 31.

Eorum qui ſe viciſſim veraciter diligunt, loca animum non dividunt. Ep. 40.

Cum ad ædificium arbuſta ſuccidimus, ut prius viriditatis humor exſiccari debeat, expectamus: ne ſi eis adhuc recentibus fabricæ Ep. 50.

pondus imponitur, ex ipſa novitate curventur, & confracta citius corruant, quæ immature in altum levata videbantur. Cur ergo hoc non ſubtiliter in hominibus cuſtoditur, quod in lignis quoque ac lapidibus tanta conſideratione perpenditur?

Ep. 56. Plerumque alterius caſus, alterius ſolet eſſe cautela.

Quia nonnunquam, dum aliud attenditur, aliud non cavetur, oportet ut contra omnes hoſtis inſidias quiſque debeat eſſe ſollicitus, ne dum in uno vincit, ſuperetur in altero: Nam & terrenus hoſtis, qui munita loca cupit invadere, pugnandi arte ſic utitur. Latenter quidem ponit inſidias, & ad unius loci expugnationem totus oſtendit, ut dum ad defenſionem loci illius, ubi inſtat periculum, convenitur, loca alia, de quibus nulla eſt ſuſpicio, capiantur. Et evenit ut qui cognitus reſiſtentis virtute repulſus eſt, latens obtineat quod certando non potuit.

Sicut injuſta poſcentibus, nullus eſt tribuendus effectus: ita legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. *Ep. l 5. Indict. 14. Ep. 1.*

Quoties contra Eccleſiaſticam quid geſtum dicitur diſciplinam, ne nos ante Deum culpa ex diſſimulatione redarguat, irrequiſitum hoc relinquere non audemus. *Ep. 3.*

Bonitas præpoſitorum, ſalus eſt utique ſubditorum. *Ep. 7.*

Et apud homines culpa, & apud Deum pœna eſt, nolle quemquam bonum imitari quod placet.

Sicut hæreticorum pravitas zelo rectæ fidei comprimenda: ita veræ confeſſionis eſt integritas amplectenda. Nam ſi credi fideliter confitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores ex incauta generantur diſtrictione mortiferi. Et hinc non ſolum errantes oves ad caulas minime dominicas revocantur: ſed etiam intropoſitæ ferinis dentibus laniandæ crudeliter exponuntur. *Ep. 15.*

Veraciter confitenti non credere,

non eſt hæreſim purgare, ſed facere.

Ep. 17. Teotiſto cognato Imper. Idcirco mercedis vobis cauſas, quas vos diligere certum eſt, providemus, ut nos veſtris meritis providendo jungamus.

Ep. 35. Et legum ratio, & æquitas admonet naturalis, ut quiſquis hereditatem aut renuit, aut parentum ſucceſſione ſe abſtinet, hereditaria non debeat onera ſuſtinere.

Ep. 60. Mater & cuſtos bonorum omnium charitas, quæ multorum corda uniendo conſtringit, abſentem non æſtimat eum, quem oculis mentis habet præſentem.

Ep. 62. Tunc bene atque vere ad proximorum dilectionem deſcendimus, ſi in dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima & mente, atque ex totis viribus perſiſtimus.

Ep. l. 6. Indict. 15. Si is qui valet, omnipotentis Dei oves renuit paſcere, oſtendit ſe Paſtorem ſummum minime amare.

Ep. 4. Per activam vitam prodeſſe cupiens

Iſa. 6. Iſaias, officium prędicationis appetiit: per contemplationem vero

vero Jeremias amori Conditoris *Ierem.* 1
ſui ſedulo inhærere deſiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter unus appetiit, hoc laudabiliter alter expavit: Iſte, ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet; ille, ne damna ſtudioſi operis tacendo ſentiret. Sed hoc in utriſque eſt ſubtiliter intuendum: ne aut non purgatus adire quiſquam ſacra miniſteria audeat, aut quem ſuperna gratia eligit, ſub humilitatis ſpecie ſuperbe contradicat.

Qui regendam navem ſuſcepit, tanto amplius neceſſe eſt vigilet, quanto amplius littus relinquit.

Quælibet occulta loca ſine Dei gratia animam ſalvare non poſſunt.

Lot in ipſa perverſa civitate fuit juſtus, in monte peccavit.

Illius nobis virtus quærenda eſt & gratia poſtulanda, ſine quo nuſquam abſque periculo & culpa, cum quo nuſquam ſine juſtitia eſſe poſſumus.

Nimis iniquum eſt, ſi hi qui prędicatores humilitatis facti ſunt, de vani nominis elatione glorientur.

Ille vere glorioſus eſt, qui non de temporali potentia, ſed pro Chriſti nomine de ſua Paſſione gloriatur.

Ep. 5. Prima virtus eſt cognitio infirmitatis.

Omnes infirmi ſumus, ſed ille eſt infirmior, qui ſuam conſiderare non valet infirmitatem.

Ep. 7. Ita ſibi regentium merita connectuntur & plebium, ut ſæpe ex culpa præſidentium deterior fiat vita ſubjectorum, & ſæpe ex merito plebium delinquat vita paſtorum.

Secundum meritum plebium diſponuntur corda regentium.

Ep. 8. Manifeſtatur virtus prædicantium, ubi ſurgit ſeges animarum.

Ep. 11. Solet plerumque ſtrictius cor viva vox trahere, quâm lectio dicta per tranſitum.

Rufino Qui neſcit legere, lingua veſtra

illi ſit codex, ut in bono prædica- *Epiſc.*
tionis veſtræ vel operis, quod imi- *Epheſi.*
tetur aſpiciat.

Piæ poſtulatio voluntatis effectu *Ep. 12.*
debet proſequente compleri.

Quem conſcientia defendit, & *Ep. 14.*
inter accuſationem liber eſt: & liber vel ſine accuſatione eſſe non poteſt, ſi ſola, quæ internis addicit, conſcientia accuſat.

Non honor, non divitiæ quæ- *Ep. 26.*
rendæ ſunt, quæ dimittuntur.

Semina meſſium gelu cooperta *Ep. 27.*
fertilius germinant.

Ignis flatu premitur, ut creſcat.

Minus pie vivis, ſi minus perſecutionem pertuleris.

Si inter contradicentes, quæ Dei ſunt egeris, tunc verus operator probaris.

In paradiſo pluvia non fuit, ſed fons aſcendebat de medio paradiſi, qui irrigaret faciem terræ. Illæ ergo animæ, quæ per compunctionis gratiam fontem in ſemetipſis habent, de aliena lingua pluviam neceſſariam non habent.

Ep. 33. Ita de gratia debemus ſuperna præſumere, ut non ſimus negligentes in oratione vel opere.

Quanto hoſtis noſter cautum contra ſe unumquemque cognoſcit, tanto corda ſibi reſiſtentium ſubtili molitur arte ſubvertere.

Ep. 36. Sicut omnino grave eſt fruſtra Eccleſiaſtica miniſteria venundare, ſic iterum culpa eſt imminenti neceſſitate res maxime deſolatæ Eccleſiæ captivis ſuis præponere, & in eorum redemptione ceſſare.

Ep. 37. Bonum proximi etiam otioſo commune fit, qui de alterius actibus gaudere communiter ſcit.

Ep. l. 6. Indict. 1 Ep. 12. Sicut perſeveranti culpæ debetur jure vindicta, ita reſipiſcentibus eſt venia concedenda.

Ep. 25. Novit patientia levigare quod grave eſt, & conſtantia ſuperare quod ſævit.

Ep. 29. Utilis ſemper eſt docti viri allocutio: quæ aut diſcit audiens quod neſcire ſe noverat, aut cognoſcit, quod eſt amplius, id quod ſe & neſciſſe neſciebat.

Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri ſollicitior atque timidior debes. Ep. l. 7. Indict. 2 Ep. 1.

Qui non corrigit reſecanda, committit. Ep. 6.

Sicut grave & plenum vituperationis eſt, inter perſonas omnipotenti Deo militantes de ſecularibus negotiis ortam diu controverſiam permanere: ita laudabile & ſtudioſo eſt Religioſo conveniens terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, & ex rebus tranſitoriis manſura ſemper charitatis lucra mercari. Ep. 27.

Spicarum grana tribulis attrita, ariſtis & paleis nudantur. Ep. 32.

Incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pavet, minus validum non timere. Ep. 39.

Sapienter illicita ſuperat, qui didicerit etiam non uti conceſſis.

Eccleſiaſtica damnum non ſentit utilitas, ſi res aliis competentes, cognita veritate, reſtituantur. Ep. 49.

Cur eum non ſingulariter hoſtis impetat, à quo ſe impeti ſingula- Ep. 54.

riter ſpectat?

Antiquus hoſtis mox ut otioſam mentem invenerit, ad eam ſub quibuſdam occaſionibus locuturus accedit, & quædam ei de geſtis præteritis ad memoriam reducit, audita quondam verba indecenter cogitationi reſonat: & ſi qua dudum turpiter acta ſunt, eorum ſpecies oculis cordis apponit, ut quem de præſentibus non valet inquinare, de malis tranſactis violet.

Decepta mens ſæpe inde in delectationem rapitur, unde diu jam ſe per pœnitentiam afflixit.

Cicatrix figura eſt vulneris, ſed ſanati.

Ep. 112. Plerumque adverſarius animarum, dum non poteſt in his, quæ ad ſpeciem ſunt prava, ſurrepere, callide ſpecie quaſi pietatis injecta, nititur ſupplantare.

Nec venator feram, aut avem auceps deciperet, vel piſcem piſcator caperet, ſi aut illi laqueum in aperto proponerent, aut ille ha-

mum eſca abſconditum non haberet.

Eleemoſyna Redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, ſed quæ de rebus conceſſis & bene acquiſitis impenditur.

Facilis erit conſolatio, ſi inter flagella quæ patimur, quæcumque fecimus ad memoriam delicta revocamus: atque hæc non jam flagella, ſed dona eſſe conſpicimus, ſi quæ carnis delectatione peccavimus, carnis dolore purgemus. *Ep. 126.*

Reſtringenda ſub ratione poteſtas eſt. *Lib. 8. Indict. 3*

Commotionis tempore juſtum omne putat ira quod fecerit. *Ep. 12.*

Quicquid tribuitur pauperibus, ſi ſubtili conſideratione penſetur, non eſt donum, ſed mutuum; quia quod datur, multiplicato ſine dubio fructu recipitur. *Ep. 20.*

In ſumma tribulatione poſitis ſola eſt conſolatio miſericordia Redemptoris. *Ep. 31.*

Rectæ mentis eſt Deum non ſo-

lum in proſperis benedicere, ſed etiam in adverſitatibus collaudare.

Ep. 36. Placere Deo & pravis hominibus nullus poteſt.

Tanto debemus cautius ambulare, quanto nos ſcimus inter Dei inimicos vivere.

Ep. 37. Omnino ſtudendum eſt, ut res aſpera fiat mercedis occaſio.

Ep. 41. Plerumque & genus mortis in alterius mortis conſideratione levamen eſt.

Minus patimur quàm meremur.

Inter flagella poſitos, flagellis digna committere, contra ferientem eſt ſpecialiter ſuperbire, & ſævientis acrius iracundiam irritare.

Ep. 45. Inter verba laudantium, ſiue vituperantium, ad mentem ſemper recurrendum eſt: & ſi in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet. Et rurſum ſi in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire.

Antiquus

Antiquus hoſtis terrarum locis à tentatione non excluditur.

In ſola Creatoris noſtri protectione fidendum eſt.

Bonorum ſtudiorum deſideria nulla debet tarditas impedire. *Ep. 65.*

Sic vulnus debes abſcindere, ut non poſſis ulcerare, quod ſanum eſt. *Lib. 69. Indict. 4 Ep. 8.*

Quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus: quia in ipſa etiam ignorantes vident quod ſequi debeant, in ipſa legunt qui litteras neſciunt. *Ep. 9.*

Quando ad ovile dominicum errantes oves adduces, qui quas habes retinere non prævales?

Pœna præſens, ſi animum afflicti convertit, finis eſt culpæ præcedentis. Si autem ad timorem Domini minime convertit, initium eſt pœnæ ſequentis. *Ep. 25.*

In ipſis verberibus Dei revocemus ad memoriam & ejus munera, & noſtri reatus damna. Penſemus quanta bona ſuper noſtram malitiam fecerit Dominus, &

quanta mala ſub ejus bonitate commiſimus.

Reduc me in memoriam, ut judicemur ſimul. Iſaj. 43. Judicemur modo in noſtra cogitatione cum Deo, ne diſtricte poſtmodum judicemur à Deo.

Quiſquis feſtinat evadere diſtrictionem ſententiæ judiciique ſequentis, per amaritudinem pœnitentiæ omnem ſibi dulcedinem intermittat vitæ præſentis.

Quæcumque huius mundi bona ſunt, cujus dona ſunt, niſi Conditoris?

Haberi à nobis non debet donum Dei, quod per delectationem ſui ſeparat ab amore Dei: ne data danti præferamus, & dum bona percipimus, etiam mala unde creſcere in ejus timore debuimus, inde à timore illius disjungamur.

Ep. 39. Qui vitæ ſuæ in cælo teſtem habet, judicia hominum in terra pertimeſcere non debet.

Si laudibus lætamur, & detractionibus frangimur, gloriam noſtram non in nobis, ſed in aliorum ore poſuimus.

Vbi erit patientia, ſi deeſt quod toleretur?

Abel eſſe non ſuſpicor, qui Cain non habuerit.

Boni ſi ſine malis fuerint, perfecte eſſe boni non poſſunt, quia minime purgantur.

Ipſa malorum ſocietas purgatio bonorum eſt.

Sunt plurimi, qui vitam bonorum amplius, quàm debent laudant; & ne qua elatio de laude ſurrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & objurgationem prorumpere, ut ſi qua culpa ab ore laudantium in corde naſcitur, ab ore vituperantium ſuffocetur.

Omnes fratres ſumus, unius Imperatoris poteſtate conditi, & ſanguine redempti. Et ideo fratres noſtros quantumlibet pauperes & abjectos, in nullo deſpicere debemus.

Duobus modis ſancti viri etiam à licitis abſtinere ſolent. Aliquando ut merita ſibi apud omnipoten-

tem Deum augeant, aliquando vero ut anteactæ vitæ culpas detergant.

Si continentiam, quam vir appetit, uxor non ſequitur: aut quam uxor appetit, vir recuſat, conjugium diuidi non licet.

Magna eſt contra peccatum virtus pœnitentiæ: ſed ſi quis in eadem pœnitentia perſeveret.

Pœnitentiam vere agere, eſt commiſſa flere, ſed iterum plangenda declinare.

Sunt multi fidelium, qui imperito zelo ſuccenduntur, & ſæpe dum quoſdam quaſi hæreticos inſequuntur, hæreſes faciunt.

Ep. 45. Inanis fit oratio, ubi praua eſt actio.

In damno expenditur, quicquid cum peccato congregatur.

Ipſe bonarum mentium eſſe conſuevit adjutor, qui etiam earum largitor eſt.

Ep. 47. Si vultis nihil injuſte perdere, ſummopere ſtudete per injuſtitiam nihil habere.

Valde premendus eſt animus inter ſigna & miracula, ne fortaſſis in his propriam gloriam quærat, & priuato ſuæ exaltationis gaudio exultet. *Ep.*

Per ſigna animarum lucra quærenda ſunt, & illius gloria, cujus virtute eadem ſigna geruntur.

Qui poſt terrenam poteſtatem regni cæleſtis gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum Creatori ſuo debet enixius laborare. *Ep. 49.*

Cauſa ſunt ruinæ populi Sacerdotes mali. *Ep. 64.*

Peregrinatio eſt vita præſens, & qui ſuſpirat ad patriam, ei tormentum eſt peregrinationis locus, etiam ſi blandus eſſe videatur. *Ep. 70.*

Is qui locum ſummum aſcendere nititur, neceſſe eſt gradibus vel paſſibus, non autem ſaltibus eleuetur. *Ep. 71.*

Iſraëlitico populo in Ægypto Dominus ſe quidem innotuit: ſed tamen eis ſacrificiorum uſus, quos Diabolo ſolebant exhibere, in cul-

tu proprio reſervavit, ut eis in ſacrificio ſuo animalia immolare præciperet: quatenus cor mutantes, aliud de ſacrificio amitterent, aliud retinerent; ut etſi ipſa eſſent animalia, quæ offerre conſueverant, verumtamen Deo hæc, & non idolis immolantes, jam ſacrificia ipſa non eſſent.

Lib. 10. Indict. 5 Ep. 2. Quotiens digna conſideratione, ſuſtentationis cauſa aliqua merentibus conceduntur, & Deum lætificant, & ipſum ditant ſine dubio largientem.

Lib. 2. Indict. 6 Ep. 2. Citius ad precem judex flectitur, ſi à prauitate ſua petitor corrigatur.

Pius ac miſericors Deus à ſe vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur non vult iraſci.

Ep. 6. Quando inter religioſas perſonas de terrenis rebus controuerſia naſcitur, ita ſacerdotali eſt ſollicitudine finienda, ut creſcere non poſſit ex mora contentio.

Ep. 60. Providum ſalubreque eſt aliquid compendij procurare, unde

nulla ſpes eſt lucri, ſed magis damni formido.

Sunt culpæ, in quibus culpa eſt relaxare vindictam. *Ep. 62.*

Incongruum valde eſt à ſuſcepto officio ſola quemquam voluntate ſuſpendi, quem culpa non removet. *Lib. 17 Ind 18.*

Prudentes viros Regibus adhærere multorum ſolamen eſt. *Ep. 1.*

Hanc ſibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere ſe quod ſponte tribuit, æſtimet; & niſi in beneficiis ſuis creverit, nihil præſtitiſſe ſe reputet.

Apud nobilium mentes ſemiplenum bonum videtur, quod ſine adjectione relinquitur.

Non pro locis res, ſed pro bonis rebus loca nobis amanda ſunt. *Ep. 31.*

Quia pro veritate occiſus eſt Ioannes; pro Chriſto ſanguinem fudit. *Reſp. ad 4. interrog.*

Bonarum mentium eſt etiam ibi aliquo modo culpas ſuas agnoſcere, ubi culpa non eſt: quia ſæpe noſtra culpa agitur, quod venit ex anima. *Reſp. ad 6. interrog. Reſp. ad 10. interrog.*

Cum eſurimus, ſine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum eſt ut eſuriremus.

Romanorum ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululum reverenter abſtinere.

Laudabilis eſt ira contra vitium & tamen moleſta.

Oportet legitima carnis copula ut cauſa prolis ſit, non voluptatis: & carnis commixtio procreandorum liberorum ſit gratia, non ſatisfactio vitiorum.

Cum non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de ſua commixtione quod defleant.

Reſp. ad 2. Interrog. Si ex turpi cogitatione vigilantis oritur illuſio in mente dormientis, patet animo ſuus reatus.

Tribus modis impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Sugge-

ſtio fit per Diabolum, delectatio per carnem, conſenſus per ſpiritum: quia cum primam culpam ſerpens ſuggeſſit, Eva velut caro delectata eſt, Adam velut ſpiritus conſenſit. Et neceſſaria eſt magna diſſevio, ut inter ſuggeſtionem, delectationem, & conſenſum judex ſui animus præſideat. Cum enim malignus Spiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi nulla peccati delectatio ſequatur, peccatum omnimodo perpetratum non eſt. Cum vero caro delectari cæperit, tunc peccatum incipit naſci. Si autem etiam ad conſenſionem ex deliberatione deſcendit, tunc peccatum cognoſcitur perfici. In ſuggeſtione igitur peccati ſemen eſt: in delectatione nutrimentum: in conſenſu perfectio. Et ſæpe contingit, ut hoc quod malignus Spiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi conſentiat. Et cum caro ſine anima delectari nequeat, ipſe tamen ani-

mus carnis voluptatibus relu-ctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, ut ei ex ratione contradicat, & tamen delectatione ligatus ſit, ſed ligatum ſe vehementer ingemiſcat.

Ep. 61. Facta ſuorum Epiſcoporum vel Prępoſitorum oris gladio non ſunt ferienda, etiam cum recte reprehendenda videntur.

Manifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda: ſed palam ſunt arguendi, qui palam nocent: ut dum aperta objurgatione ſanantur, ij qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim unus corrigitur, plurimi emendantur. Et melius eſt ut pro multorum ſalute unus condemnetur, quàm per unius licentiam multi periclitentur.

Satius eſt ut mali aperte corrigantur; quàm pro illis boni pereant.

FINIS.

APPROBATIO.

NOs infraſcripti Doctores Theologi, certum facimus legiſſe Librum cui titulus eſt, *Floſculi ſanctorum Patrum;* in quo nihil contra Fidem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam, reperimus: ſiquidem Floſculi in operibus Sanctorum Patrum collecti, fideliter referuntur, & ideo dignum cenſemus qui typis mandetur. Datum Pariſiis, anno Dom. 1667. die 26. Auguſti.

ROBEAV.

EVDES.

APPROBATION.

I'Ay leu un Livre intitulé *Floſculi Sanctorum Patrum*, fait ce 8. May 1667.

M. GRANDIN.

Extrait du Privilege du Roy.

PAr grace & Privilege du Roy, il eſt permis à Florentin Lambert, Marchand Libraire à Paris, d'imprimer, faire imprimer, vendre & debiter un Livre intitulé, *Floſculi Patrum*; Et ce pendant le temps & eſpace de ſept années conſecutives : avec deffences à tous Imprimeurs Libraires, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre, ſous quelque pretexte que ce ſoit, ſans le conſentement dudit Lambert, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de tous dépens, dommages & intereſts, & d'amande, comme il eſt plus au long porté par ledit Privilege, donné à Paris le 2. May, l'an de grace 1667. & du regne de Sa Majeſté le 24 Signé, le FEBVRE. Et ſeelé du grand Sceau.

Regiſtré ſur le livre de la Communauté des Marchands Libraires, & Imprimeurs de Paris, le 27. Iuin. 1667.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

4-4

image
not
available